Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Christian Matthias Knesebeck

Prodromus Iuris Publici Universalis, Magna Eruditorum Exspectatione Diu Desiderati : Continentis Praetensiones Illustres Imperatoris & Imperii, Regum, Principum Ac Rerumpublicarum Totius Europae ....

[Hamburg]: Rodopoli: Libezeit: Wepplingius, 1700

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756512921

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

RU jurist. 1700
Knesebeck, Christ.Matth.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756512921/phys_0001
DFG

3.
37

PRODROMUS JURIS PUBLICI UNIVERSALIS,

MAGNA ERUDITORUM EXSPECTATIONE DIU DESIDERATI, CONTINENTIS

PRÆTENSIONES ILLUSTRES

IMPERATORIS & IMPERII, REGUM, PRINCIPUM AC RERUMPUBLICARUM

TOTIUS EUROPÆ,

MAJORI OPERI PRÆMISSUS

AD VINDICANDA S. R. J. JURA

ADVERSUS MEZERÆUM, HADR. VALESIUM, DAVID. BLONDELLUM, ALIOSQ;

VELUTI PRIMIPILARES JURIUM ET RERUM GALLICARUM SCRIPTORES, QVORUM LAPSUS EA, QVA PAR EST, MODESTIA DETEGUNTUR, RATIONIBUS EX HISTORIA, JURE NATURALI ET GENTIUM PETITIS CONFUTANTUR, CUNCTAq; DIPLOMATIBUS NON UNIS EX ARCHIVIS DEPROMTIS,

LIMNÆO ET CONRINGIO

NUNQVAM VISIS,

DEMONSTRANTUR AC CORROBORANTUR,

AUTORE

CHRISTIANO MATTHÆO KNESEBECK.

RODOPOLI, SUMTIBUS GOTHOFR. LIBEZEIT.
TYPIS JOH. WEPPLINGI, ANNO 1700.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756512921/phys_0005
DFG

JOH. ANDREAS BOSIUS Introd. in Notit. Rerumpubl. O. U. Cap. XXX. §. 100.

Prætenſionum materia uti cum pacis belliqve negotiis intimè connexa, ſic inter cognitu maximè neceſſarias haberi debet. Sed NB. nondum ſatis excultaeſt.

JOH. CHRISTOPH. WANGENSEILIUS in notis MSS. ad Bœcleri Notit. Jmp. Lib. V. Cap. II.

EXhibet auctor Catalogum eorum, qvi prætenſiones ſ. in vicinos ſ. in alios habent. Pleraq; tamen alienaſunt, nec ad Jmperium pertinent, ideoqve nec hujus loci ſunt. Et verò ſi de omnibus pro dignitate agere vellemus, aliqvot menſium, vel etiam NB. annorum ſpatium opus eſſet. Pleraqve ſcil. ex Hiſtoricis NB. magno labore qværenda ſunt.

PRÆFA-

INDEX CAPITUM.

CAP. I.

DE Origine novi Regni Burgundiæ, vulgò Arelatensis, deqve progressu ejus ac Statu usqve ad tempora Henrici II. Jmperatoris.

CAP. II.

DE Jure Imperii Romano-Germanici in Regnum Arelatense à temporibus Henrici II. usqve ad Friderici II. Imperatoris tempora.

CAP. III.

DE jure Imperii Romano-Germanici in Regnum Arelatense ab interregno Friderici II. usqve ad Carolum IV. Imperatorem.

CAP.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756512921/phys_0007
DFG

CAP. IV.

DE Jure Imperii Rom: Germanici in Regnum Arelatense à temporibus Caroli IV. Imp: usqve ad Leopoldum Magnum, Imperatorem nostrum glorioſiſſimum.

CAP. V.

DE jure Imperii in Ducatum Mediolanenſem.

CAP. VI.

DE jure, qvod Regi Galliæ in Ducatum Mediolanenſem hodiè nullum competit.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756512921/phys_0008
DFG

PRÆFAIO
AD
LECTOREM CANDIDUM,
In qvâ
De ſtudii Juris Publici Univerſalis difficultate & magnitudine diſſeritur, multaqve alia, non ubiqve obvia, de Prætenſionum utilitate ac neceſſitate, in ſpecimen futuri Operis, docentur.

EQvidem videor mihi jam videre, & planè præſagit animus, fore non unos, qvi me rem immenſi operis, odii invidiæqve telis maximè obnoxiam moliturum autument. Enimverò ſi hiſtoriam, in qvâ velut ſemina Prætenſionum (ignoſcite ità loqventi manes Ciceroniani) hinc indè diſperſa latitant, ſpectemus, qvàm vaſta illa ſit, qvanto librorum lingvarumqve apparatu ad eam noſcendam opus, haud facilè qvis negaverit, niſi pudendam ſuam rei literariæ inſcitiam prodere geſtiat. Certè niſi Chronologiæ, Geographiæ, Genealogiæ, juris Naturæ & Gentium, Rei Nummariæ, Artis Heraldicæ atqꝫ Diplomaticæ fundamenta per ſolidum ſubdantur, uti cetera eò firmiori nexu ſuperſtrui qveant, irritus erit labor omnis. Et qvanqvàm fateri libet, magnitudini meditati operis eſſe me planè imparem; tamen nihilominus pro tenui ingenii mei modulo id primus aggrediendum putavi,

incitaturus forsan alia ingenia magis decora, ut in societatem laboris, qvo nihil salutariùs humano generi esse poterit, trahi qvoq; se patiantur. Nec est, qvod nimis anxiè reputemus, qvantæ molis sit controversias, inter potentissima Regna, Principatus & Urbes natas, dirimere velle sine periculo offensionis. Huic enim rationi si locus concederetur, non Sledani, (qvod absq; ambitiosa comparatione dictum velim) non Chytræi, non Thuani, non Pufendorffii Historias præclaras & magnificas haberemus, in qvibus Principum dissidia, eorumqve momenta legere est, insigni nostri & secuturi ævi emolumento. Adhæc si licet in Academiis jus Publicum internum profiteri, de forma sive statu S. R. Imperii, de Juribus Imperatoris, Electorum ac Principum impunè disputare: qvantò magis licebit Jura Imperii adversùs exteros tueri? Sed enim indecorum arbitror, Petri Aretini exemplum seqvi, qvi, extorqvendæ à summis Principibus pecuniæ, molimina ipsorum acriori Stylo insectabatur, plura ausurus, nisi maturè cohibitus fuisset. Qvin eò venerat aliqvando audaciæ, ut monetam cudi curaret, hac epigraphe Italica: *J Principi tributati da' Popoli, tributano il servitor loro.* Absit sanè, ut ad ejusmodi arrogantiam, livorem vel obtrectationem dilabamur; siqvidem cuncta procul habitis iræ ac studii causis, ex re & vero referemus. Etenim optimi Principes, qvamvis contumeliarum intolerantes, vera haud abnuere solent, modò scriptores calamum intra cancellos modestiæ coerceant, servatâ ubiq;, qvæ debetur, Summis Principibus, reverentiâ. Sæpe numerò qvidem in doctorum virorum, licet modestiæ limites non transgrediantur, scripta aut Corpora sævire solent Principes, privatæ utilitati, vanæq; ambitioni nimiùm velificantes. Qvàm cruenta enim fata expertus sit Paulus Sarpius, inter omnes constat. Nec tamen ideò Virille, singulari doctrinâ ac virtute præditus, à veri amore ac caritate patriæ,

patriæ, qvâ nihil ei antiqvius, dimoveri se passus est. Et qvanqvàm amici ejus, Romani Styli vim atq; acrimoniam formidantes, eum identidem admonendum putarent, vitæ suæ consuleret; tamen non destitit erudito calamo jura patriæ vindicare, vel cum discrimine alieni furoris. Haud sanè immemor istius Taciti: *Qvò magis socordiam eorum irridere libet, qvi præsenti potentia credunt exstingui posse etiam sequentis ævi memoriam. Nam contra punitis ingeniis gliscit auctoritas, neq; aliud externi Reges, aut qvi eadem sævitia usi sunt, nisi dedecus sibi, atqve illis gloriam peperêre.* Inter literatos reperiuntur nonnulli tàm levi plebejoque ingenio, ut, dum se suaq; tantùm mirantur, scientiam Juris Publici ad panem lucrandum parùm vel nihil facturam existiment. Qvâ opinione, ut lenissimè dicam, nihil potest esse inanius; qvasi verò bonarum artium cupidi opificio cuidam tractando, vel sorbillandis poculis, aut saginandis abdominibus suis nati forent. Sanè eruditorum diversissima sors est, qvibus præcipua rerum ad virtutem diriguntur. Hanc verò qvi habet, tenet omnia, nec eget externæ rei ad corpus mortale pertinentis adjumento, cum ipsa sibimet satis opimum præmium videatur. Cetera, si non præsens ætas, grata tamen posteritas rependet. Imò fallum est, parùm vel nihil lucrosum esse tale studiorum genus. Experientiâ namq; contrarium edocemur. Qvantam enim munificentiam exercere consveverint Reges Galliæ in eos, qui de Prætensionibus scriptitarunt, nemo est, qui ignoret. Ità Cassanum, Jurium Regis Galliæ propugnatorem, qvamvis ineptum, grande sui laboris pretium tulisse, ac pro libro, Richelio Cardinali, summo Regni Ministro, oblato 160 00. nummis, qvos coronatos vocant, remuneratum esse testis est Petrus Valcknierius, Belgii Fœderati ad Helvetios Ablegatus in Europa sua, ut vocat, perturbata P. I. pag. 37. Qvomodo item Philippus IV, Rex Hispaniæ

niæ Joannem Jacobum Chifletium, Vindiciarum Hiſpanicarum auctorem, Regio ſtipendio auxerit, ejuſq; filio Cancellariatum aurei velleris contulerit, non diſſimulat ipſe Blondellus in opere ſuo Genealogico. Sic qvoq; Cornelio Janſenio Mars Gallicus, qvem pro Rege Hiſpaniæ ſcripſerat, & ſub ficto Alex: Patricii Armachani nomine ediderat, ad obtinendam Epiſcopi Jprenſis dignitatem qvaſi viam muniit, aditumq; patefecit. Extant & plura alia tantæ liberalitatis exempla, inprimis Ludovici XIV. hodiè in Gallia regnantis, cujus ceteroqvi Muſarum Antiſtitis poſt hominum memoriam Maximi nomen, in æternitatis templo conſecratum, nulla unqvam delebit oblivio. Scio eqvidem, ſummos qvosdam, Principes, vocabula juris & juſtitiæ faſtidientes gladiis, non atramento, ſed cruore humano tinctis, ſuas tranſigere controverſias ſolere. Hinc Tiridates apud Tacitum diſſerit: *non ignavia magna Imperia contineri, virorum armorumq; faciendum certamen. Id in ſummâ fortunâ æqvius, qvod validius. Et jus retinere privatæ domus de alienis certare, Regiam laudem eſſe.* Aſt hæc atqve talia barbara & periculoſa dogmata Chriſtianos Principes, qvi veram Pietatem curæ ſibi habent, neutiqvam imitari convenit. Nam illa, qvæ juſtitia (qvæ virtus Regum ac Principum propria eſt) parantur, æterna ſunt, vi atq; armis qvæſita fluxa ſunt, atq; peritura. Ità celebris ille Orientis domitor, & laniſta numeroſi Perſarum exercitus fatetur ipſe, non diuturnam eſſe poſſeſſionem, in qvam gladio inducamur. Proin peſſimè agunt, qvi pravis conſiliis optimos Principes imbuunt ad ea appetenda, qvorum non eſt juſta poſſeſſio. Indè etiam fit, ut Principes, qvod injuria ipſis ereptum eſt, data à fortuna occaſione ſæpè repetitum eant. Nec obſtat Salvii, Svecici ad conventum Pacis Weſtphalicæ Legati reſpon-

responsum, Brandenburgicis ad jura heri sui in Pomeraniam provocantibus datum, Conscientiam nimirum Rationi status cedere, teste Pufendorfio Hist. Frid: Wilhelm: l. 2. §. 39. Non enim facilè mihi persvaderi patior, Gustavum Adolphum, Sveciæ Regem, si tùm vixisset, pro insigni sua, qvam præ se ferebat ad virtutes omnes propensione, tàm præceps dictum, cujus imagine horrescit omninò animus, impune laturum fuisse. Si Vandalos veteres, validissimam olim gentem, respiciamus, multa qvidem illi regna externa condidêre in Gallia, Hispania, imò, capta Carthagine, in ipsâ Africâ, tertiâ Orbis terrarum parte. Nec Gensericus, Vandalorum Rex, Africano Regno contentus fuit, sed classe etiam numerosa & formidabili Italiam aggressus, Romam, vi occupatam, militibus suis diripiendam dedit. Sed qvia prisci Vandalorum Reges ad suam vim atq; arma cuncta revocare consveverant, justitiæ planè incuriosi, mirandum non est, haud ità longam fuisse eorum dominationem. Idem esto judicium de Gothis aliisqve nationibus ferocissimis. Eqvidem ferocitati gentis Vandalicæ, necdum veris Christianorum sacris initiatæ, dandum aliqvid erat. At enimverò si Principes levibus aut planè nullis de causis statim ad arma atq; cædes hodiè prolabuntur, longè aliter sentiendum videtur. Qvare de Anglis Islandiam cædibus & rapinis seculo decimo qvinto contra fas gentium infestantibus jure merito conqvestus est apud Christanos Principes Christianus I. Daniæ Rex: Arte & rationibus,, inqvit, cum vivat hominum genus, nequaquam impetu, quo,, feruntur bestiæ, sed ratione, qua bestiis præstant homines,, hominum sunt opera judicanda. Vid. Huitfeldii, Regni,, Daniæ qvondam Cancellarii, Chronicon Daniæ pag. 918. Accedit, qvod Reges ac Principes, qvi sola potentia actiones suas metiuntur, non hominum tantùm voluntates à se abalienent, sed Deum etiam ipsum, injustitiæ vindicem acerrimum, sibi

iratum

iratum reddant. Huc spectat monitum cedro dignum, qvod reperire est in Historia Ministerii Richelii, Cardinalis T. I. pag. 709. & seq. *Dieu*, ait, *qui est le juge des Rois, chatie les usurpations, qu' ils font, que ceux, qui s' efforcent de s' accroire par la violence, trouvent enfin leur ruine en une plus grande qui leur est faite, & que la Grandeur, qui s' obtient par quelque injure, ne peut avoir de durée, bien que la force, l' authorise pour quelque temps.* Sed cui plura hac de re scire volupe est, adeat elegantissima Hugonis Grotii prolegomena in librum de jure Belli ac Pacis, ubi contra Carneadem, impugnatorem justitiæ satis aridum & jejunum, solidè disputat, cujus verba ex charta in papyrum transcribere angustia temporis prohibet. Sanè bonis consiliis plura effici, qvàm ferro & manibus, experiendo sæpius deprehendimus. Hinc est, qvod etiam Viri in summa dignitate constituti nonnihil temporis tàm nobili studiorum Generi tribuerint, multaq; vel à se observata, vel lecta scriptis mandaverint. Sic Oxenstierna, Magnus Cancellarius (cui maximam partem suæ potentiæ incrementa debet Regnum Sveciæ) â sua dignitate haud alienum putavit, jus Publicum Regni Sveciæ, qvale erat tempore Reginæ Christinæ, peculiari scripto complecti, qvod in Bibliothecis nonnullis cimelii instar custoditur. Qvinimò vel exterorum Regum, tam vicinorum, qvàm longius dissitorum prætensiones cognoscere nos oportet, etiamsi fructus indè non alius percipi possit, qvi in consiliis capiendis sanè insignis est, dum vicinis vel vastos adversariorum conatus, vel vetera jura, qvæ viciſſim habent in eorundem ditiones, in memoriam revocamus, eosq; socios, distrahendo hosti, nobis adjungimus. Hoc artificium pulchrè calluit Regina Angliæ Elisabetha, qvæ ut Rex Daniæ fœdus ad tuendam Religionem secum iniret, jussit Legatum Thomam Bodlejum inter alia, ut Danorum Regem obiter moneret,

ipsius

ipsius inprimis interesse Gvisiorum conatibus occurrere, cum cognato Lotharingiæ Duci Daniæ Regnum asserere non dubitaverint, memorante Camdeno Part. III. Hist. Elisabeth. p. 400. Cum seculo XIII. inter Reges Angliæ & Galliæ magna de civitate qvadam maritima esset contentio, ac Rex Angliæ meminisset, partes qvasdam Regni Arelatensis S. R. Imperio eripuisse Gallos, Adolpho Nassovio ad regnum istud recuperandum palàm se adjutorem professus est. Qvo argumento excitatus Imperator, bellum Regi Galliæ intulit. Vid. P. II. Chron: Colmariens. ab Urstisio edit: pag. 54. Contrà lapsus in eo est Senator qvidam Venetus, qvòd filio suo Historiam Gallicam aliqvandò legenti è manibus librum extorserit, dicens: *Cornaro, leggi le cose de tua Republica e non altro.* Nam vicinorum prætensiones, qvarum cognitio maximè necessaria est homini politico, sæpè ex ipsorum historiis, ex perennibus Archivorum fontibus hausti, atque adeò propria adversariorum confessione infirmari ac dilui possunt. Docent nos memoriæ & negotiationes Pacis Neomagensis Gallica lingua conscriptæ, Legatos Electoris Brandenburgici jura & honores Legatis secundi Ordinis ex Gallicis scriptoribus magnæ auctoritatis tàm solidè ac doctè adversus Regis Galliæ Legatos asseruisse, ut nihil haberent, quod opponerent. Profectò Prætensionum usus maximus est in Tractationibus pacis. Cum enim verba inibi sint rerum loco, & interdum vel ex una vocula, vel syllaba enasci soleant Prætensiones magni momenti, consequitur, earum doctrinam summo etiam Legatis fore adjumento. Qvò respicit auctor Ministerii Richelii, Cardinalis, ubi hæc verba legere est: *C'est le propre d'un sage Ministre de prevoir touts les inconveniens des propositions, qui luy sont faites dans un Traité pour ne se laisser pas surprendre & prendre garde, que l'ennemi, qui n'a*

point trouvé d'avantage dans les armes, n'en tire d'un accommodement. Ce n'est pas sur ce sujet, que plusieurs ont estimé, que la prudence, à la faveur de laquelle il s'aquite de ce devoir, luy est en quelque façon plus necessaire, que la valeur militaire, parce que les occasions de combattre ne se presentent que rarement, dans la suite de la guerre il se fait dans les jours diverses propositions d'accord, auxquels se relachant mal à propos, il n'arriveroit pas moins de dommage à son Maitre, que d'un deroute. Fervente pacis Pyrenææ negotio, cum astu Ludovici de Haro, Legati Hispanici, in ejusdem Pacis articulum 95. in qvo de Controversia, super dote Margaretæ Principis Sabaudiæ & Mantuæ orta, componenda agitur, duo verba admodùm insidiosa irrepsissent, existimantis, Mazarinum Cardinalem, Regis Galliæ Legatum, huc mentem non advertere, ille pro sua, qva pollebat sagacitate, statim odoratus, qvò valerent ista, seriò postulavit, uti expungerentur. Id qvod etiam post longas altercationes obtinuit. Contrà fraude deceptus est à Mazarino Cardinale Ludovicus de Haro, qvi non satis diligenter animum attenderat ad vocem Tractatus pluraliter eidem articulo intersertam, per qvam non solum Tractatum Cherascensem publicum A. 1631. verùm etiam secretiorem inter Ducem Sabaudiæ & Regem Galliæ eodem anno initum se intellexisse scribit Mazarinus in Epist: ante aliqvot annos edit. p. 302. hunc in modum: *Il m'a reussi de faire passer, sans que Dom Louis ni Dom Pedro Colonna y ayent fait reflexion, un point, qui est assés important, c'est à dire, qu'au lieu de mettre le Traité de Cheraseo j'ay mis les Traites au pluriel, parce qu'outre le traité publique, qui fut fait pour regler les interests des dites maisons de Savoye & Mantoue, l'on en fit un en particulier avec Monsieur le Duc de Savoye, par lequel il donnoit Pignerol au Roy & en retenoit la recompense sur un certain nombre des terres de Montferrat, pour lesquelles sa Majesté promit de payer à Mons. le Duc de Man-*

Mantoue la somme de qvatre cent qvatre vingt qvatorze mille écus d' Or, ceqvi avoit connexité & relation avec le Traité public ; de maniere qve le Roy d' Espagne approuvant lesdits traités & s' obligeant à ne s' exposer en aucune facon à l' execution d' iceux directement, ni indirectement, il le fait aussi bien pour l' acqvisition de Pignerol, qvi nous demeure. Prætereà ex Prætensionum doctrina id qvoqve commodi hauriant Legati, ut in tractationibus pacis aliorum postulata nimis aspera facili negotio lenire, vel tanqvam compensatione penitùs elidere possint. Hujus rei magnam exemplorum struem huc convehere possem, nisi brevitati studere niterer. Sufficiat, Prætensiones ex libris uno velut intuitu brevi temporis spatio addisci posse, qvarum notitia aliàs longam experientiam postulatura videtur. Sunt qvi jura Regum ac Principum ex ipsis Archivorum fontibus tutiùs, qvam ex libris haurienda esse moneant. Et rectè qvidem. Nec mihi alia mens, qvam jus Publicum Universale ex diplomatibus aliisqve illustribus rerum documentis pertractare. Sed hodiè non est, qvod omnia pacta publica in Archivis anxiè qværamus. Absqve enim Historia foret, qvæ multas tabulas actorum publicorum ab interitu vindicavit, aut Vulcani vim jam diu sensissent, aut cum blattis & tineis nunc miserè rixarentur. Deindè non sufficit, diplomata ex Archivis deprompsisse, sed necesse est, ut ea qvoq; ad Lydium Historicæ veritatis lapidem qvàm curatissimè probentur. O qvàm multa documenta ex qvorundam hominum suis tantum commodis inservientium cerebri Officina effluxêre! Photius composuerat aliqvando falsissimam Basilii Imperatoris Genealogiam, quem ex stirpe Tiridatis, Armeniæ Regis, ortum traxisse jactabat. Voce Beclas Imperatoris illius familiam complexus est. Nam per literam B. Basilium Imperatorem, per e Eudoxam, ejus conjugem, per seqventes Constantinum

Leonem, Alexandrum & Stephanum filios intelligendos censebat. Et ne qvis aliqvid doli sub esse diceret, Genealogiam hanc Charactere Alexandrino in vetustissima charta scripsit, & per Theophanem Bibliothecarium Cæsareum inter κειμήλια Bibliothecæ reponi curavit. Is Basilio Imperatori Codicem insignes antiqvitatis notas præ se ferentem, tanqvam pretiosissimum Bibliothecæ thesaurum, ostendit, dicens, Photium solum huic explicando parem esse. Qvare Imperator eum continuò accersi jussit, qvi etiam tantam veri speciem narrationi suæ conciliavit, ut Imperator falsarium istum in sedem Patriarchalem Constantinopolitanam, qva paulò antè exciderat, restituendum juberet, Vid. Ludovicus Morerius, à qvo ingeniosam hanc technam Photii mutuatus sum. Illustre similis ferè solertiæ exemplum præbet Constantini Magni donatio ex cujusdam otiosi homuncionis ingenio conficta atqve composita, cujus vanitatem Baronius Cardinalis ipse ingenuè agnoscit in Annalibus suis Ecclesiasticis. A. 843. Warinum Abbatem Corbejensem ac Monachos ejusdem Monasterii donatos fuisse ab Imperatore Insula Rugia cum castellis, vicis, prædiis, incolis & omni jurisdictione Principum testatur Annalium Paderbornensium non ità pridem editor Scriptor lib: II. pag. 127. Diploma qvoque Imperatoris ex ipso Corbejensium Tabularum autographo descripsit, qvod ut A. 1326. testimonio ac tabulis Consulum ac Magistratus Montis Martis Huxtariensium & Volckmersensium hac super re confectis adhuc integrum fuisse; ita ad nostra usqve tempora adservari, qvamvis læsum lacerumque, commemorat pag. 128. Verum enim verò documentum hoc valdè suspectum mihi videtur, ut suo loco fusiùs indicabo. Memini alias me in Historia Pacis Westphalicæ legere, Monachos Corbejenses, durante pacis negotio, jus suum vetus in insulam Rugiam obtendisse qvidem, atque ad allegatum di-

plo-

ploma provocasse, sed frustrà; Rugiâ Consensu Imperatoris ac Statuum Imperii jure fiduciario in Reginam & Coronam Sveciæ translatâ. Nec ignotum esse potest Viris doctis, qvàm callidi & ad fraudem acuti olim seculo maximè undecimo in confingendis aut interpolandis diplomatibus extiterint Monachi. Josephus Scaliger, superioris hujusq; seculi Eruditorum facilè Princeps, gloriatur in Epistola CCCLV. Lib. IV. se multa monasteriorum, capitulorum, Episcopatuum diplomata vidisse; Regum, Imperatorum, Ducum nomina & scripturæ vetustatem præferentia, illa tamen ab aliis pro genuinis habita sibi primo oculi conjectu odore falsitatis suæ nares percussisse. De annis autem Regum & Epactis ideò à Monachis sæpè erratũ existimat, qvia veris diplomatis vel incendio, vel alia vi majore amissis, instauranda fuerint instrumenta, ne prædiis donatis fraudarentur monasteria. Igitur in sinceris documentis ab adulterinis probè discernendis acri judicio opus est. Nam Characteres, Stylus, titulus, verba initialia vel ultima inusitata, annus, locus, subscriptio & sigilla apposita sæpè eorundem produnt falsitatem. Nostra ætate in Critico hoc studiorum genere excellit Daniel Papebrochius, Jesuita, qvi magnam ex eo laudem adeptus est. Scripsit peculiarem de vera ratione diplomata supposititia à genuinis discernendi dissertationem, qvam Actis sanctorum Mensis Aprilis A. 1675. inseruit. Is in præfatione, qvam Vol. II. præmisit, tabulas publicas à Religiosis qvibusdam in Gallia editas non solum suspectas reddere, verum etiàm Diplomatis àDagoberto inprimis Rege Monasterio S. Dionysii dati auctoritatem speciosis impugnare argumentis ausus est. Biennio post liber alius prodiit cum notis idem Diploma, qvo se à jurisdictione Regis eximere allaborant Monachi, vellicantibus. Annexum est exemplum diplomatis authentici ex MSto Thuano descripti, qvod etiamnum in Bibliotheca Colbertiana

tiana deliteſcere ac Diplomati à Dubleto in lucem protracto planè repugnare dicitur. Prætereà auctor notarum evincere ſuſtinet, Diploma illud Colbertianum non ſolùm eſſe authenticum, verùm etiam praxi Eccleſiæ & diſciplinæ omninò congruere. Contrà Diploma Dubletianum eſſe ſuppoſititium, legibus Eccleſiaſticis pariter & Politicis planè contrarium ex multis vetuſtatis monumentis demonſtrat. Poſt non ità multò libellus qvidam lucem vidit à miſello qvodam Monacho compoſitus, in qvo plus convitiorum ac ignorantiæ, qvam veritatis erat. Id circò Johannes Mabillonius rem alia via aggreſſus, Opus ſuum de re Diplomatica Lutetiæ Pariſ: A. 1681. in f. edidit, in qvibus qvicqvid ad veterum Inſtrumentorum antiqvitatem, materiam, ſcripturam & ſtylum, qvicqvid ad ſigilla, Monogrammata, ſubſcriptiones ſeu notas Chronologicas, qvicqvid indè ad antiqvariam Hiſtoriam, forenſem diſciplinam pertinet, explicatur & illuſtratur. Acceſſëre Commentarius de antiqvis Regum Francorum Palatiis, veterum ſcripturarum varia ſpecimina Tabulis ſexaginta comprehenſa, nova ducentorum & ampliùs monumentorum collectio. Hoc opus, tanqvam Palladium qvoddam, judice Baudeloto de Dairval in libro Gallico de utilitate peregrinandi, ubi de notis antiqvitatis Codicum Manuſcriptorum agit, Jacobi Petiti doctiſſimis, qvas editioni ſuæ Pœnitentialis Theodori ſubjunxit, notis præcipuè opponendum ratus eſt Mabillonius. Nec eundem conſilium ſuum diſſimulare potuiſſe idem auctor ait; qvippe qvi diplomata ſui ordinis paulò ante à Papebrochio nigro lapillo notata vel rationibus & argumentis confirmare haud erubuerit. Ut adeò indè facilè ſit intellectu, Notas Petiti in Theodori Pœnitentiale fidem Diplomatis Sandionyſiani élevantes Mabillonio qvaſi Centrum operis de re Diplomatica conſtituiſſe. Ceterùm licet aliàs Baudelotus Mabillonium ſua laude haud defru-

defraudandum putet; tamen opus ejus de re Diplomatica non per omnia respondere Eruditorum exspectationi, nec regulas ab eodem dijudicandis diplomatibus constitutas perpetuæ esse veritatis, ac indè Papebrochium sæpius à Mabillonio dissentire persvasum cupit Lectoribus. Qvicqvid sit, si tenue meum judicium interponere licet, existimaverim & Papebrochium & Mabillonium dignos esse, qui in numerum doctissimorũ virorum hujus seculi referantur. Quorum ille primo nobis ad Diplomata falsa à veris probè distinguenda glaciem rupit. Hic verò, cui plurima diplomata in Monasteriis & Archivis Galliæ perlustrare contigit, agrum istum Critices multo magis excolui sse videtur, quamvis fortè in Diplomate Dionysiano adversus Jacobum Petitum Abbatem propugnando inferior discesserit. Hæc atque talia hoc loco non prætereunda duxi, quæ eò maximè valent, ut appareat, qvemadmodum viri Eruditi diplomata antiqva defendere & infirmare sveverint. Qvæ res qvantæ utilitati sit iis, qvi ad intima juris Publici sacra admitti cupiunt, nemo, nisi qvi in veteri pariter ac recentiori peregrinatur memoria, ignorat. Henricus Meibomius junior in Introductione ad Saxoniæ Inferioris inprimis Historiam promisit peculiare Opus, ubi omnium, qvi à Carolo Magno in Saxonia dicuntur erecti, Episcopatuum fundationem & fundationum tabulas à nonnullis præclaris viris in dubium vocatas, ab aliis pertinaciter defensas examinabit. Genti enim Meibomianæ singularem qvandam ad studia Historica propensionem tribuit natura, cui & ob tot præclara ingenii ac industriæ monumenta summa laus & observantia debetur. Proin precibus omnibus Virum Doctissimum publico nomine orare ac obtestari convenit, ut fidem suam liberare, suaque erudita reperta publicæ luci qvam primum exponere ne pigretur. Optandum esset, ut qvis Diplomata hinc indè dispersa & latitantia secundùm seriem

seriem seculorum saltem ab ævo Carolingico ad nostra usque tempora in unum vel plura volumina cogeret, amplocq; & accurato Indice instrueret. Dici enim non potest, qvantæ utilitati hic labor juris publici Consulto futurus sit. Facem jam prætulerunt Jacobus Sirmondus, Lucas Holstenius, Ferdinandus de Fürstenberg, Episcopus ac Princeps Paderbornensis & Monasterienſis, Stephanus Balusius, Godefredus Guilielmus Leibnitius, aliiq; nonnulli. In Balusii editione Capitularium Regum Francorum, cetera laudabili, hoc notari meretur, eam prioribus haud respondere. *Antiquis, inqvit Cointius in Annalibus Francorum Ecclesiasticis ad A. 827. n. 7. editionibus novissimam adversari non dissimulamus.* Præter varias lectiones multa quoque alia desiderari in iisdem Balusii Capitularibus Anno 1677. II. Tom. in folio editis monet ex eodem Cointio Guilelmus Cave in Historia Scriptorum Ecclesiasticorum Literaria pag. 366. Antonius Schonhovius misit aliqvando ad Cornelium Gvalterum magnum volumen Legum Francicarum Caroli Magni, quod insigne vetustatis monumentum vocat in Dissertatione de Origine Francorum, qvæ extat in veteris ævi analectis (veteribus antiqvis monumentis ab Antonio Matthæo collectis & editis A. 1698. Lugd. Batav. Qvid postea collectioni huic factum sit, nescio. Multa etiam Caroli M. Diplomata rara & nunqvam publicata hodiè latitant in Monasterio Casinensi, qvæ tamen propter singulares causas à Monachis, tanqvam aurum à Gryphis, custodiuntur ac premuntur. Volumen MS. Diplomatum omnis generis, Cæsarum, Regum, Pontificum, Principum, Episcoporum, Abbatum &c. in Bibliotheca sua possedit Casp. Sagittarius, uti constat ex Catalogo scriptorum ejus. Hæredes magnam ab Eruditis gratiam iniverint, si tam utilem laborem à Clarissimo Viro congestum in publicam lucem exire patiantur. Qvandoqvidem Pontifices olim se publicis Regum ac Principum

pum controversiis immiscuerunt, summa certè laude mactari merentur illi, qvi Epistolas, Acta & Diplomata eorum colligenda sibi sumunt. Stephanus X. Papa varia Diplomata in usum curiæ Romanæ congerere haud dubitavit ipse, dum Bibliothecarii ac Cancellarii S. R. E. officio fungeretur. Christophorus Gewoldus Diplomata varia Romanorum Pontificum publicavit Monachii A. 1611. 4. Johanne XXII. Pontifice Romano, Statuta Manuscripta proborum virorum Civitatis Avenionis per Sanctam disquisitionem sapientum examinata, in sanctis Conciliis approbata, atque inter eos authenticè hactenus servata, & deinceps observanda, tanquam justitiam & æquitatem continentia, A. 1316. condita latuerunt in Bibliotheca Naudæi, Cardinalis Mazarini Bibliothecarii. Indè varia antiquitatis monumenta Historica ac Principum aliorumque Diplomata depromi posse, legi in Philippi Labbei Bibliotheca MStorum librorum. Possedit & alia Manuscripta Publica in Bibliotheca sua Naudæus, inter qvæ eminent Conventiones inter Carolum secundum, Regem Hierosolymorum & Siciliæ A. 1307. d. 6. Novembris & Magnificos viros Opizinum Spinulam de Lutulo & Barnabo de Auria, Capitaneos Genuenses, initæ. Contractus Conventionum inter D. Angelicum Cardinalem & Episcopum Albanensem terrarum & provinciarum S. R. E. in Italia citra Regnum Siciliæ consistentium Vicarium generalem & Deputatos Civitatis Aretii tempore Gregorii Papæ XI. & Dominorum Cardinalium Albanensis & Bituricensis terrarum Ecclesiæ in Italia generalium Vicariorũ A. 1371. Relationes factæ D. Geraldo de Valle Diano, Neapolitano, S. D. Papæ Capellano, in Regno Siciliæ citra Pharum Apostolico Nuntio & Recollectori censuum de omnibus beneficiis eorumque fructibus & emolumentis dicti Regni Siciliæ, De jurisdictione Ecclesiæ super Regnum

Siciliæ Tractatus, in quo ostenditur quădruplici titulō illud ad Ecclesiam Romanam pertinere. Attestationes testium de Finibus agri Beneventani à Gratia, Procuratore Regis Siciliæ, productorum coram Episcopo Anagnino & Guilelmo de Spectinis Decano Antiocheno, quibus Gregorius X. mandatum ad hoc sufficiens dederat Anno salutis 1271. Leonis III. Epistolas cum notis publici juris fecit Hermannus Conringius Helmstadii. 1640. Alteram editionem curavit A. 1655. Nicolai I. Pontificis Epistolas Romæ Anno 1542. editas vidi Hafniæ in Bibliotheca Muhleniana. Innocentii III. Epistolarum libri IV. (ut alias editiones omittam) prodierunt A. 1635. f. Tolosæ, cum Notis Franciſci Bosqueti, Narbonensis JCti, Regis in sanctiori Consistorio Consiliarii. Nonnullas etiam lucubrationibus suis illustrasse Paulum Dumey Vasconem, Senatus Divionensis Consiliarium, auctor est Ludovicus Jacobus à S. Carolo in Bibliotheca Pontificia. Innocentii III. Epistolarum Libros XI. cum notis publicavit Stephanus Baluſius T. II. Paris 1682. f. Accessere gesta ejusdem Innocentii. vid. Ephemerid. Erudit. Gall. Silvestri II. Pontificis Epistolas è Bibliotheca sua luci publicæ exposuit Papyrius Massonus JCtus. Paris. 1611. 4. Pauli Vti Epistolarum libri V. Mantuæ 1587. 4. Italicè lucem viderunt, postmodum in Latinam Linguam conversi & editi Colon: Innocentii VIti Epistolarum volumina XV. vel plura MSta in Bibliotheca Vaticana, Innocentii VIII. & Innocentii IX. Epistolas MSS. in Bibliotheca Cæsarea, Urbani IV. volumen Epistolarum in Bibliotheca Vaticana, Urbani Vti Epistolarum Volumen in Vaticano & Patavii in Museo Benedicti Sylvatici, Primi Medicinæ Professoris, Urbani VII. Epistolas ad diversos Romæ in Bibliotheca Barberina cum ejus Diariis adservari scribit antè memoratus Ludovicus Jacobus,

Jacobus. Utinam Urbani VI. Epistolarum Volumen hactenus ineditum, in quibus forsan nonnulla ad Regnum Arelatense pertinentia reperire licet, publicis exscriptum typis extaret! Notum enim est, sub Pontifice hoc & Carolo IV. Imp. Regnum Arelatense ad Gallos translatum fuisse, vulgò credi. Commentitiam a. illam fabulam Conradus Samuel Schurtzfleischius peculiari dissertatione: *Quod Carolus IV: Aug. non dissipaverit Imperii patrimonium, quatenus pertinet ad Regnum Arelatense*, egregiè confutavit, cujus Viri Eruditissimi sententiam pluribus argumentis, partim ex Auctore Pontificii Arelatensis rarissimo, & auctoritate publica, teste Gassendo, in Galliis suppresso, eidemq; ut apparet, non lecto, partim aliundè petitis, propediem, Deo volente, confirmare mihi animus est. Porrò Prætensiones nihil sunt aliud, quam jura, quæ Reges, Principes aut Respublicæ in Regna, ditiones & urbes à vicinis vel aliis possessas habent: Cumque Historia non solum pugnas ac bella sed etiam consilia bellorumqve causas justificas, in quibus Prætensiones primum occupare solent locum, exponat; magna meritò opera danda est Juris publici amatori, ut Historiam, tam sacram, quàm profanam, diurna nocturnaque manu verset. Inprimis diligenter evolvendi sunt Germanicarum ac Francicarum rerum Scriptores, qui sæpè non una suggerunt Diplomata. In iis familiam ducunt Simon Schardius, Johannes Pistorius, Justus Reuberus, Christianus Urstisius, Marqvardus Freherus, Melchior Goldastus, Erpoldus Lindenbrogius, Henrici Meibomii, Andreas du Chesne, alias Qvercetanus & Hadrianus Valesius. Prætereà in consilium advocandos arbitror Henricum Canisium, Lucam Dacherium & Johannem Mabillonium, qvorum scripta vel sub titulo antiqvarum Lectionum, vel Spicilegii

veterum Scriptorum aut Analectorum nomine prodierunt. Petrus Lambecius, Hamburgensis, Cæsareæ Mtis Consiliarius & Bibliothecarius in rerum Germanicarum Syntagmatibus, quæ molitus est, multa diplomata se publicaturum recepit. Sed interventu mortis, quæ omnia solvit, tàm præclarum opus interpellatum est. Successor ejus Daniel à Nessel eandem curam posteà suscepit, utipatet ex Sciagraphia ejus Magni Corporis Historici in varia syntagmata divisi. Inter alia pollicetur Concordata inter Nicolaum Vtum & Fridericum Vtum Imperatorem; Udalrici Babenbergensis Codicem Epistolarum continentem variorum Pontificum, Imperatorum, Cardinalium & Principum epistolas; Bremensia, Magdeburgensia, Weissenburgensia Diplomata & Privilegia; Acta publica & Concordata inter Imperatorem Fridericum Vtum & Matthiam Corvinum, Regem Hungariæ; Acta Publica Electionis Imperatoris Maximiliani II. in Regem Poloniæ A. 1576. ab Hugone Blotio collecta. Sed Corpus istud Historicum nondum in publicam lucem prolatum vidi, cui fortè Nesselius immortuus est. *Johannes Philippus* à Voorburg incredibili industria curaqve elucubravit insignem Historiam Romano Germanicam, cujus XII. Volumina edita sunt Francofurti â Condito Mundo, si bene memini, ad ad A. usq; 877. Non absre fuerit subtexere judicium, quod de tanti viri conatu dedit in Introductione ad Historiam inferioris Saxoniæ pag. 94. Henricus Meibomius Junior: *Utinam verò*, ait, *tandem prodirent, quæ illustris & magnæ dignitatis Vir, Johannes Philippus à Voorburg, Præpositus Monasterii grandis Vallis, Consiliarius Moguntinus & Herbipolensis cum ad omnis Historiæ Germanicæ, tùm Saxonicæ imprimis, illustrationem dudum promisit. Vti enim Vir ille in tanta dignitate tot inter Reip. curas & ejus causa obitas legationes*

in-

incredibilem Historiæ Germanicæ apparatum sine exemplo congessit, tot documenta situ & squalore obsita ex Monasteriorum Principumq; Archivis eruit; sic exactissimum ipsius judicium & imprimis Φιλαλήθεια, quæ in duodecim integris Tomis præliminaribus nulla non pagina apparent omnes rei peritos incitant, ut ab hæredibus tantum Opus, ad Germaniæ & Saxoniæ æternum decus, exposcant. De quo maximo viro antequam sermonem claudam, non possum non publici boni causa quædam notabilia verba ex inedita vitâ ejus, cujus brevem consignationem ipse senex fecit, hic apponere: Quas molestias, sudores, labores in iis (Operibus scilicet Historicis concinnandis) sustinuerim, dici vix potest, & tamen in his etiam, scribendæ Historiæ difficultate, cura, sollicitudine, vigilantia, incommodo, sumptu & opere quotidiano, tàm duro, difficili & arduo nunquam fractus fui. Quin ad hanc usque horam, eadem qua ab initio, voluptate teneor, nec à molestiis, curis, sumptu objici mihi moram patior. Unum miror, quod, quando interdum, in uno aut altero loco, ex documentis situ & pulvere obsitis, & forsan nunquam lucem aspecturis, sed inter tineas & blattas tandem perituris, notitias quasdam peto, id à nostris Principibus, qui tamen aliàs vanæ gloriæ, sed non diu duraturæ, tantoperè student, & imprimis etiam Ecclesiasticis, id planè non æstimetur, veluti Archivia ipsorum perpetua futura, & tot Imperiorum, ex quibus nullum amplius Archivium extat, & pro his sola Historia defectum supplere debet, sortem nequaquam subitura essent: quod ego sæpè valdè ridere debeo. Inter Scriptores Annalium Ecclesiasticorum, eminet Cardinalis Baronius, ejusq; Continuatores Henricus Spondanus, Abrahamus Bzovius & Odoricus Rainaldus. Baronius etsi falsa nonnulla diplomata Annalibus suis inseruit; multa tamen habet haud contemnenda, juribus Imperii tuendis plurimùm profutura. Sanè

Hermanno Conringio non exigua laus debetur, ut pote qvi aliqvot Diplomata Baronii, in suo planè aureo de Finibus Imperii Opere sub examen revocare voluit. Nec possum, qvin apponam Christophori Forstneri de Baronio judicium, qvod visitur in Epistola nondum, qvod sciam, edita, A. 1656. ad Johannem Henricum Bœclerum, Virum omni elogio majorem, exarata. *Historiæ Cæsarum*, ait, *operis doniq; tui lectione profectò vehementer oblector, cum ab ipsa origine verisqve fontibus te narrationem deducere videam, h. e. ab illis, qvi suorum temporum res gestas aut paulò superiorum literis mandarunt. Nihil enim in Historia exploratum, certumqve atq; indubitatum haberi debet, nisi qvod illorum temporum auctores nobis tradiderunt, aut qvod Principum ac Rerumpublicarum Chartophylacia testes habet. Summam propterea profectò laudem meretur eximius Annalium Ecclesiasticorum Conditor Cardinalis Baronius, nisi pro veris & omni exceptione majoribus falsos sæpenumerò testes & supposititias fabulas, nulla fide dignas, nobis obtruderet: Præterea coactis contortisqve interpretationibus etiam fidorum testium dicta corrumperet. Qvod ab Isaaco Casaubono, Richardo Montacutio, M. Antonio de Dominis & novissimè à Davide Blondello egregiè demonstratum est.* Qvin Patinus, magni in Gallia nominis Polyhistor, scribit in epistolis Gallicè editis p. 275. Naudæum, virum ceteroqvi simplicis veritatis amicum cultorem sibi dixisse, qvod Lucas Holstenius firmissimè aliqvando asseveraverit, se vel 8000. mendacia Baronii detegere, eaq; probare posse ex Manuscriptis Codicibus Bibliothecæ Vaticanæ. Multa etiam in Continuatoribus Baronii desiderantur. Qvi qvanqvàm ad illum ne comparandi qvidem sunt, legi tamen ac cum ipso conferri debent, qvò major lux veritati affulgeat. Nec inutilis erit variorum Chronicorum, Conciliorum tam

Uni-

Universalium, qvàm particularium, Vitarum Imperatorum, Regum, Principum, Pontificum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Sanctorum, variorumq; Ordinum & Monasteriorum Scriptorum lectio. De qvibus consulendi sunt Gerhardus Johannes Vossius de Historicis, & C. Sagittarius in elegantissima introductione ad Historiam Ecclesiasticam & singulas ejus partes. Hoc unum miror, Clarissimum Sagittarium, ubi agit de Vitis Archiepiscoporum, Pontificii Arelatensis Auctoris, oppidò rari, nullam injecisse mentionem; cum tamen Petrus Gassendus Lib. 4. de vita Claudii Fabricij Peirescii, Senatoris Aqvisextiensis hæc tradat: *Ut mentem diverteret, tandem legit per id tempus Peirescius, qvod tùm è prelo primùm prodibat, Arelatense Pontificium, auctore Petro Saxio, ejus Ecclesiæ Canonico. Plurimùm verò fuit indignatus, qvod ille studio nescio qvo affectasset elevare Principum nostrorum* (Comitum scilicet Provinciæ & Regum Galliæ) *jura & non modò non reposuisset, qvæ opponi poterant, sed interdum etiam tentasset præter fas illa enervare. Qvamobrem non interqvievit, donec placito Curiæ evulgatio libri prohibita fuit.* Qvæsivi aliqvando ex Morhofio, Historiæ Literariæ scientissimo, aliisqve, an unqvam legissent P. Saxii Pontificium Arelatense, sed librum illum se vidisse negarunt omnes. Qvare mihi gratulor, vehementerqve lætor, qvod Auctor iste ad manus meas pervenit, qvi cum jam carceres morderet, publico Decreto in Gallia prohibitus Manuscripti rariissimi ad instar meritò haberi debet. Non defuerunt, qvi Pacificationum Tabulas, fœdera aliaqve pacta, ex qvorum interpretatione sæpenumerò Prætensiones enasci solent, in unum colligerent. Theatrum pacis h. e. Tractatuum atqve Instrumentorum præcipuorum ab A. 1647. ad A. 1660. usqve in Europa initorum & concluforum Collectio prodit Norimbergæ Anno

ño 1663. Qvod Opus posteà continuatum est. Sed desiderantur Acta Pacificationum ab initio hujus seculi usq; ad A. 1647. Qvæ si qvis congereret, eum haud inutilem laborem sumpturum puto. Scriptores pacis Westphalicæ, Neomagensis & Risvicensis notissimi sunt omnibus. Non tamen prætereundum censeo Adamum Cortrejum, vulgo non ità cognitum, qvi interpretationem sanctionis Pacificæ Osnabrugensis & Monasteriensis ex principiis Actorum publicorum singulorum articulorum causas, eorum rationes decidendi exhibentem promisit in f. Sed mors ejus opus istud titulo satis speciosum nobis forsan invidit. Wicqve fortius in Memoriis seu commentariis suis de Legatis meminit, sibi fuisse consilium omnia Acta pacis edere à pace Vervinensi ad sua usqve tempora. Verùm laudabile hoc propositum interrupit captivitas ejus. Qvo tempore Manuscriptà sua à summo Hollandiæ tribunali direpta, ac dispersa fuisse dolet ipse. Interim Sciagraphiam qvandam meditati operis, nisi me decipit memoria, exhibet in libro antè citato. Daniel à Nessel in animo qvoqve habuit emittere *Corpus Historico-Politicum publicarum Pacificationum, confœderationum, Ligarum, Conventionum, Transactionum Pactorum, Tabularum Fœderis, Instrumentorum Pacis, Neutralitatis, Commercii, Associationis, Provisionis, Gvarantiæ, Recessuum interimisticorum ab A. C. 1400. ad sua usq; tempora per totum terrarum Orbem sanctorum & conclusorum.* In qvo opere digerendo observavit Doctissimus Auctor seriem temporum, uti ex Prodromo ejus Historiæ Pacificatoriæ, Vindobonæ A. 1690. f. edit: apparet, spemqve nobis fecit, fore, ut non solùm Origines & causæ bellorum Austriaco-Hispanico-Gallicorum, sed etiam subsecutarum Pacificationum Diplomata, tabulis Genealogicis & synopticis illustrium prætensionum diagram-

grammatibus convenientibus locis insertis, noscerentur. Sed enim nondum mihi tàm felici esse contigit, ut egregium illud opus orbi erudito magna cum spe desideratum viderem. Qvare Godofrido Guilielmo Leibnitio, Electoris Brunsvicensis Consiliario atque Bibliothecario, Viro, ob tot egregia ingenii reperta, editaq; æterna industriæ monumenta, Orbi Literato notissimo, dignæ laudes persolvendæ sunt, quod Codicem suum juris Gentium publicæ luci condonare, & forulis Archivorum ac Guelferbitanæ prælertim, aliarumque Bibliothecarum excussis, Diplomata maximè illustria tineis ac blattis eripere voluerit. Titulus operis ità habet: *Codex Juris Gentium Diplomaticus, in qua tabulæ authenticæ Actorum publicorum, pleraque inedita vel selecta continentur, quem ex Manuscriptis præsertim Bibliothecæ Augustæ Guelferbitanæ Codicibus & monumentis Regiorum aliorumque Archivorum, ac propriis denique collectaneis edidit Godefridus Guilielmus Leibnitius. Hannoveræ impensis Samuelis Ammonii. A. 1693. f.* Hoc volumine concluſit vir omni doctrinarum genere ornatissimus non solùm Pacificationes, quæ vulgò Tractatuum nomine veniunt, sed etiam Fœdera, Instrumenta dotalia, Testamenta Principum, Donationes, Cessiones, Renunciationes, Investituras, Homagia &c. ab initio seculi XI. usque ad A. 1500. Quod opus multùm lucis adferre poterit Doctrinæ Prætensionum. Inter alia suppeditat diplomata quædam ad Regnum Arelatense spectantia, quorum illustrissimum est, qvo A. 1343. Mense Aprili Humbertus secundus, Delphinus Viennensis, Delphinatum in Philippum Regis Galliæ secundo-genitum, & post ejus decessum in filios Johannis primo geniti arbitrio patris vel fratris primogeniti vel successorum eligendos transtulit, hac lege, ne unquam Delphinatus Coronæ uniretur, nisi Imperium cum Regno

Galliæ coaleſceret. Errat igitur Imhofius in Geneal. Gal. ubi tum temporis Delphinatum, Regno Galliæ coaluiſſe ſcribit. Ego verò poſſideo aliud pactum A. 1349. penultima die Martii inter Philippum Regem Galliæ & Johannem ejus primogenitum ab una; & Humbertum II. Delphinum Viennenſem ab altera parte initum, quo Delphinatus Carolo Vto, Johannis primogenito, ceſſit. Qvod diploma latina lingva conſcriptum ſi Clariſſimus Leibnitius habuiſſet, haud dubiè Codici ſuo inſeruiſſet. Prætereà alia documenta in manibus habeo ad Delphinatum pertinentia, de quibus commodiorem differendi occaſionem capiam, quando de Jure Imperii in Delphinatum agendum erit. Johannes Tilius, vulgò Tillet, Tom. II. Collectionis ſuæ Regum Galliæ lingua vernaculâ conſcriptæ, bella & pacificationes, inducias & fœdera inter Reges Galliæ atque Angliæ inita exhibet. Miniſterio Cardinalis Mazarini ſubnexa qvoqve eſt farrago Pactorum, Transactionum & Confœderationum inter Gallaim & Principes exteros ictarum. Verùm A. 1693. majoris molis Opus VI. Vol. in 4. editum eſt Lutetiæ Pariſiorum, Regis Galliæ privilegio munitum, cui Collector titulum huncce fecit: Recueil des Traités de Paix, de Neutralité, de Confederation, d' Alliance, & de Commerce faits par les Rois de France avec touts les Princes & Potentats de l' Europe & autres depuis prés de trois ſiecles. Volumen primum continet Tractatum pacis Atrebatenſis A. 1435. & ſubſeqventes, Carolo VIII. & Ludovico XII. Regibus, initos. Volumen ſecundum complectitur Inſtrumenta ſeculi XVI. Ludovico XII. Franciſco I. Henrico II. Franciſco II. Carolo IX. Henrico III. & Henrico IV. Regibus. Volumen tertium comprehendit pacta ſeculi XVII. inter Henricum IV. Ludovicum XIII. & Ludovicum XIV. Reges,

ges, ac Imperatorem Romanorum, Principes & Status Germaniæ, Civitates Anseaticas, Ducem Lotharingiæ, Principes Sedanenses atque Bullionenses sancita. Volumen quartum exhibet Tractatus ab A. 1444. cum Helvetis, Grisonibus seu Rhætis, Ducibus Italiæ, Regibus Hispaniæ & Portugalliæ ad nostra usqve tempora initos. Tomus qvintus continet Conventiones hujus seculi cum Regibus, Angliæ, Daniæ, Sveciæ & Poloniæ, Belgio Fœderato, Magno Principe Moscoviæ &c. factas. Tomus Sextus complectitur Tractatus Feciales & Fœdera inter Principes & Status Imperii adversus Regem Galliæ icta cum aliis Actis & Memoriis s. Commentariis. Annexa denique est Collectio Decretorum Cameræ Metensis &c. Diplomata inedita Collector describenda curavit ex Thesauro Chartarum Bibliothecæ Regiæ, Camera Rationum Parisiensi & Insulari, (ubi servantur Acta publica Domus Burgundicæ) Camera Rationum Nannetensi & ex multorum Ministrorum ac Secretariorum Status variorumq; Legatorum Musæis, qui publicum juvandi studio commoti laudabili Collectoris conamini favere auxiliatricesq; manus commodare haud dubitarunt. Gothofredi quoqve, Theodorus & Jacobus, viri maximæ in Republica Literaria celebritatis, cum eo communicarunt omnes Ludovici XII. & Francisci I. Tractatus, uti vulgo appellantur, cum aliis multis Actis, apprimè curiosis, quorum exempla ex Autographis Archivi Insularis descripta possederint. Notæ verò, qvas Amelotus de la Houssaie Volúmini primo inseruit, parùm fido niti videntur tibicine. Cum enim pag. 63. commemorat, Principem Burbonium jus suum in Provinciam ad Imperatorem transtulisse, qvod vi juris testamento ab Anna Avia relicti sibi arrogaverit, liberè ac temerè satis pronunciat, ejusmodi jus planè nullum fuisse,

propterea qvod testamentum Caroli, Ducis Andegavensis, in gratiam Ludovici XI. Regis Galliæ conditum ultima Annæ voluntate infirmari haud potuerit. Cui argumento nihil firmamenti ac roboris inesse reperio. Nam, teste Cominæo Lib. I. de Bello Neapol. p. 2. edit. Argent. Renatus, Iolandæ Ducis Lotharingiæ filius, jam seculo XV. per legatum Carolo VIII. Galliæ Regi significandum duxit, se Renati Siciliæ Regis, Andium Ducis & Provinciæ Comitis è filia nepotem esse, seqve debere præferri Ludovico XI. Regi, qvi tantum esset nepos è sorore, atqve adeo ad se potius jure hæreditario pertinere Provinciam contendit. Rex quidem respondebat, majorum testamentis cautum esse, ne ad filias devolveretur Provinciæ Imperium & ideò ipsum, qui matri succederet, nullum jus habere posse. Sed hypothesis illa indubitatis documentis & rationibus nondum est demonstrata; imò contrarium evinci potest ex Historia, aliisqve argumentis haud spernendis. Qvemadmodũ enim, præeunte Hugone Grotio lib. II de Jure Belli ac Pacis C. VII. §. XXI. in iis Regnis, qvæ primitus data sunt in feudum ab eo, qvi planè dominus erat, seqvenda erit lex successionis feudalis, qvæ in gente qvaqve recepta fuit, qvo tempore data est prima investitura: ità qvoq; in Provincia ea succedendi ratio locum habere debuit, qvam antiqvis abhinc temporibus in Regno Arelatensi, Cujus pars Provincia est, constitutam fuisse invenimus. Jam verò Historia nos docet, in Regnis Arelatensi & Burgundico omnia ferè feuda fuisse fœminina. Sic Burgundiæ Comitatum ad Svevos, Meranicos, Burgundos, Matisconenses & Cabilonenses, Francos, Burgundos Ducales priores, Flandros, Burgundos Ducales posteriores, Austriacos, Delphinatum ad Burgundos & Turrios, qvin & Provinciæ Comitatum ad Barcinonenses An-

degavos secundos & tertios per fœminas transiisse, ingenuè agnoscit ipse D. Blondellus in Præfat. Apologet: adversus Chifletii Lotharingiam masculinam A. 1648. editam. Hinc Stephania Gilberti II. Comitis Provinciæ A. 1140. denati filia unica jure suo hæreditario innixa Comitatum Provinciæ sibi asseruit adversus Berengarium patruum, cujus maritum, nomine Raymundum, Burgi novi Arelatensis & Balthiarum Urbium Dominum, non solùm pro filio Provinciam paterno jure administrandam suscepisse, verùm etiam eandem jure fiduciario à Conrado II. Imperatore impetrasse, testatur Petrus Saxius in Pontificio Arelatensi sub Gvilelmo primo Archiepiscopo. Et licet Stephania post obitum mariti suo in Provinciam juri renunciasset, tamen filius ejus Hugo pactis istis vi atqve potentia adversarii Berengarii extortis stare posteà noluit. Et ille sine dubio Provinciam sui juris feciisset, nisi Fridericus I. Imperator affinitatem cum Raimundo Berengario contraxisset, Richildi Augusta Castellæ Regina Imperatoris Consangvinea Raimundo Berengario, Raimundi filio, in matrimonium data: eòq; Provinciam utriq; honorario fidelitatis jure Fridericus Barbarossa attribuit. Vid. Pontificium Arelatense sub Raimundo II. à Bolena Archiepiscopo. Frustrà urget Amelotus de la Houssaje, Provinciam jure scripto utri, & inde ad Ludovicum XI. A 1481. à Carolo Andegavensi, Comite Provinciæ, hæredem testamento institutum Comitatum provinciæ jure merito pertinere colligit. In Imperio enim Romano-Germanico etsi magnam habet auctoritatem jus scriptum seu jus Civile Romanorum: tamen testamenta Ducum ac Principum Imperii, confirmatione Imperatoris veluti robore suo destituta, per se invalida haberi, experientia qvotidiana, rerum omnium Magistra, satis docet. Cum

 igitur

igitur Provincia pars sit Regni Arelatensis, Legibus Imperii obnoxii, sequitur, testamentum Caroli Andegavensis Provinciæ Comitis nunquam ab Imperatoribus Germanicis confirmatum ad nihilum planè recidere. Quod autem Regnum Arelatense ad Imperium Romano-Germanicum re vera pertineat, demonstravit Conringius in præclaro opere definibus Imperii, & ego qvoqve argumentis & diplomatibus omni luce clarioribus illud S. R. J. plenius, si vita suppetet, vindicabo. Sed enim, ne qvis me jactantiæ insimulet, placet speciminis solùm gratia Conradi II. Imperatoris Diploma ex Pontificio Arelatensi, libro ceteroqvi repertu rarissimo, desumptum hic inserere, qvod ità habet:

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis Ego Colradus Dei Gratia Romanorum Rex secundus reverendo Raimundo Urbis Arelatensis Archiepiscopo, ejusdem Civitatis clero & populo gratiam suam & omnem bonam voluntatem.

Antiqva Regni consvetudo celebris & Jmperatorum instituta Regum Romanorum discretionem nostram sollicitant; qvatenus Ecclesiarum utilitatibus nostro Jmperio subjectarum & specialiter

cialiter Arelatensi Ecclesiæ, cui quadam prærogativa privilegiorum tenemur, studeamus subvenire, & ut propriæ sedi nostræ providere, clericos defendere, bona illorum ad laudem & gloriam nominis Christi illibata servare, & ne aliqva imperiorum tiremnide (*tyrannide*) affligantur, maximè operam dare, si qva etiam eisdem damna injustè & absque ratione ab aliqvibus inferantur, piè & misericorditer reformando, eadem resarcire. Imperialia itaqve decreta seqventes & Antecessorum nostrorum clementiam imitantes tibi, venerande Raimunde, Arelatensis Civitatis Archiepiscope, & per te Ecclesiæ tuæ & successoribus tuis nostra Regalia in Urbe Arelatensi & totius tui Archiepiscopatus diœcesi concedimus, S. Justitias, monetam, judæos, fornarias, cordam, qvintale, sestarium, reditus navium, montationes, stagna

ſtagna ſalinārum, lacus, paludes, paſcua de Cravo, ut habeas perpetuò tu & Arelatenſis Eccleſia auctoritate noſtræ munificentiæ in pace poſſideas, & per te tui ſucceſſores, qvicunqve in Eccleſia Arelatenſi Catholica extiterint, Concedimus etiam Tibi jurisdictionem NB poſt nos in Civitate Arelatenſi; Inſuper confirmamus tibi Dominium de Trencatalliis, Caſtrum de Salone, Caſtrum de Alvernico, Caſtrum de Avalone, Caſtrum ſ. Amantii, Caſtrum Vercum, Caſtrum de Mornacio, Caſtrum Montis Draconis, Caſtrum de Nioms, Caſtrum de Vinzobrio, Abbatiam ſ. Gervaſii cum omnibus ſuis pertinentiis, piſcaria de Ponte, & qvicqvid Arelatenſis Eccleſia in Civitate, vel extra per ſeculares ſeu Eccleſiaſticas perſonas habet, & poſſidet; vel juſtè habere debet, vel inantèa acqvirere poterit, tibi jam dicto Raimundo & Eccleſiæ Arelatenſis & ſucceſ-

ſoribus

ribus tuis concedimus. Verùm ut ista donatio seu hujus privilegii confirmatio firma & stabilis posteris tuis æternaliter permaneat, præsentem paginam bulla nostra anteà muniri jussimus, si qva verò improborum temeritas confirmationem istam inqvietare voluerit, banno Regali subjaceat & pro pœna qvadraginta libras auri se daturum cognoscat; cujus dimidium fisco nostro & dimidium Arelatensi Archepiscopo fore cognoscimus. Hujus autem donationis, seu privilegii confirmationis testes esse volumus Henricum Moguntinum Archiepiscopum, Episcopos, Buccani Germaciensem, Olibrium Basileensem, Surcardum Argentinum, Titerium Archi-Diaconum, Albertum Notarium, & alios multos.

Factum est hoc privilegium Anno ab incarnatione Domini MCXLIV; Anno qvinto VII. Regni ejus.

Ex quo manifestum evadit, quantam auctoritatem & jurisdictionem jam seculo XII. Rex Romanorum in Regni Arelatensis Primatem exercuerit, cujus caput est Arelas, Provinciæ Metropolis, ubi antiquitùs Imperatores Romano-Germanici coronari ab Archiepiscopo soleverunt. Egregium istud Diploma primus eruit ex Autographo Episcopali rubeo f. 3. & Archivi Arelatensis Scrinio Codicillorum aureo sigillo munitorum Petrus Saxius, cujus documenti vestigium neqve apud Conringium, neqve apud alios Juris Publici Doctores, qvi in scriptis suis de Jure Imperii in Regnum Arelatense hactenùs disputarunt, reperire licet. Ex eodem diplomate etiam simul disces, Antistitem Arelatensem ab ipso Imperatore Archiepiscopi titulo ornatum, honoratumqve fuisse. Id qvod contrà Josephum Scaligerum est, qvi Epistola CCCXLV. Antistitem Arelatensem non Archiepiscopatui, sed Episopatui olim præfuisse nimis feryidè contendit. Arelatum enim nunquam Metropolim extitisse, sed Archiepiscopi Viennensis Legibus obnoxiam fuisse existimat. Ante annos XXIII. cum Aqvis Sextiis fuisset, ostendisse sibi, ait, præsidem Amplissimum Curiæ Secundum notitiam Episcopatuum per Provincias Galliarum, ante 300. annos scriptam, in qua Arelatensis Præsul non Archiepiscopus, sed Episcopus sub Metropolita Viennensi censeretur. Arelatensis Archiepiscopatus an unqvam institutus fuerit, an per tacitum consensum in eo jure, qvod sibi vindicavit, ad hanc diem manserit, se nescire scribit, qvanqvàm pro certo habet, rem non esse adeò vetustam. Qvi Decreta Gratiani objecerint, eos hac exceptione repelli posse autumat. *Si Metropolita est*, inqvit, *verum est. Contra falsum, si Arelate ante qvadringentos annos, & infra illud tempus, adhuc sub Provincia Narbonensi erat, omninò novum esse Archi-*

Archiepiscopatum. Prætereà miratur, doctos viros hoc non advertisse. Imò subseqventi Epistola scribit, de Contentionibus inter Arelatensem & Viennensem Episcopos super hac ambitione multa produci posse: ut & de pallio ipsi Arelatensi à Romano Pontifice misso. Qvod esse argumentum opinatur, Arelatensem Præsulem non Archiepiscopum, sed Archiepiscopalibus ornamentis fuisse. Deniqve concludit, omnem hanc ambitionem, qvam vocat, ex sanctione Constantii tyranni derivatam esse. Verum enim verò si res suo merito pendatur, Josephum Scaligerum graviter errasse deprehendimus, qvando Antistitem Arelatensem Archiepiscopo Viennensi subjicere haud veretur, auctoritate veterum monumentorum planè destitutus. Provocat qvidem ad Notitiam Episcopatuum ante 300. annos scriptam. Ast ex Diplomate Conradi Imperatoris suprà citato, qvod toto seculo, & qvod excurrit, vetustius est Notitiâ illâ Episcopatuum Galliæ, contrarium apertè evincitur. Qvin Petrus Saxius in Pontificio suo Arelatensi probat, Tabulas electionis Bosonum, Regum Arelatensium, qvi jam seculo IX. vixerunt, Rostagnum Præsulem, tanqvam Archiepiscopum Arelatensem ac Burgundiæ Primatem subscripsisse. Qvo ipso simul argumentum Scaligeri, qvod Decreto Gratiani opponit, sua corruat imbecillitate, omninò necesse est. Qvod verò attinet controversiam, qvæ Archiepiscopo Arelatensi de Primatu cum Archipræsule Viennensi quondam interceßit, illam Petrus Saxius in Pontificio Arelatensi sub Hilario adversus Scaligerum ex professo ventilat, cujus argumenta omnia hoc loco repetere nimis longum foret. Et quandoqvidem Scaliger etiam mentionem fecit pallii ad Præsulem Arelatensem transmissi, notandum, Papam olim inscio Imperatore, id mittere non

potuisse. Ità Vigilius Papa seculo VIto non ausus est absque Imperatoris permissu Archiepiscopum Arelatensem pallio donare. Nam Vigilius ipse in literis ad Auxanium datis, & per Johannem Presbyterum & Terentium Diaconum acceptis hunc in modum respondit: *Se Ordinationem quidem probare, usum verò pallii se inconsulto Imperatore mittere non posse. De his verò, inqvit, qvæ charitas nostra de usu pallii, qvem de aliis sibi à nobis petiit sibi debere concedi, libenti hoc animo etiam in præsenti facere sine dilatione potuimus, nisi cum Christianissimi Domini filij nostri Imperatoris hoc (sicut ratio postulat) voluissemus perficere notitia, DEO auctore; ut & vobis gratior præstitorum causa reddatur, dum qvæ postulatis cum Christianissimi Principis Consensu conferuntur, & nos honorem fidei ejus servasse cum competenti reverentia judicemur.* Vid. Petrus Saxius, qvi diploma istud integrum ex Cod. MS. Auct. Apost. f. 56. Pontificio suo Arelatensi inseruit. Imminuta atque debilitata paulatim in Occidente Imperatorum auctoritate, jus pallii concedendi ad se traxisse Pontifices, dominandi avidos, vero simile est. Ceterum pallium Archiepiscopale non accepit Antistes Arelatensis in signum Ornamenti Archiepiscopalis, uti opinio fert Scaligeri, sed potestatis Ecclesiasticæ, qvam in suffraganeos suos exercebat, qvorum numerum exhibet Notitia Episcopatuum, sive Codex provincialis Romanus, ab Auberto Miræo ex vetusto Codice ante annos fere qvingentos scripto publicatus & notis illustratus ac A. 1614. Chronico Chronicorum Politico insertus à Jano Grutero, qvi sub nomine Johannis Gualtheri latet, ubi Archiepiscopatus Arelatensis finibus sequentes Episcopi suffraganei comprehenduntur: *Massileensis, Avenionensis, Arausicensis, Vasionensis, Cabellicensis, Tricastinus, Carpentoratensis & Tolonensis.* Fallitur deniq;

Jose-

Josephus Scaliger, Vir cetera doctissimus, dum Archiepiscopi Arelatensis ambitionem, ut vocat, ex Constitutione Constantii Tyranni derivare sustinet, qvam ipse Lectionibus suis Ausonianis p. m. 69. corruptè inseruit. Namqve non satis fideliter in exscribendo illo diplomate, qvod Francisco Roaldo acceptum fert, versatus esse videtur. Id qvod partim ex inscriptione memorati diplomatis Constantini Tyranni nomen præ se ferentis, partim ex ejusdem calce, ubi notam temporis ex industria haud dubiè omisit Scaliger, liqvidò constat. Genuinam autem illam Constitutionem, qva A. C. 418. Arelato Urbis Metropolitanæ dignitas auctoritate Imperiali indulta est, ex Sirmondi in Sidonium Apollinarem notis A. 1652. à Philippo Labbeo editis desumptam Ægidius Bucherius Belgio suo Romano Ecclesiastico & Civili interseruit, qvam hic subjicere haud gravabor:

HONORIUS ET THEODOSIUS AUGUSTI V. I. AGRICOLÆ PRÆFECTO GALLIARUM. Sa „ luberrima Magnificentiæ tuæ suggestione inter reliqvas „ Reip. utilitates evidenter instructi, observanda Provinci „ alibus nostris, i. e. per septem Provincias, mansura in „ ævum prosperitate decernimus, qvod sperari planè ab ipsis „ Provincialibus debuisset. Nam cum propter privatas ac „ publicas necessitates de singulis Civitatibus non solùm de „ Provinciis singulis, ad examen Magnificentiæ tuæ vel ho „ noratos confluere, vel mitti legatos, aut possessorum uti „ litas, aut publicarum ratio exigat functionum, maximè „ opportunum & conducibile judicamus, ut servata posthac „ annis singulis consvetudine, constituto tempore in Me „ tropolitana i. e. Arelatensium Urbe incipiant septem pro „ vinciæ habere concilium. In qvo planè tam singulis, qvam „ omnibus in commune consulimus.

„ Primum ut Optimatum Conventu sub illustri præsen-
„tia Præfecturæ, si id tamen ratio publicæ dispositionis ob-
„tulerit, saluberrima de singulis rebus possint esse concilia.
„Tum qvicqvid tractatum fuerit, & discussis ratiociniis con-
„stitutum, nec latere potiores Provincias poterit, & parem
„necesse est inter absentes æqvitatis formam justitiæqve ser-
„vari. Ac planè præter necessitates publicas, etiam huma-
„næ ipsi conversationi non parùm credimus commoditatis
„accedere, qvod in Constantina Urbe jubemus annis singu-
„lis esse Concilium. Tanta enim loci opportunitas, tanta
„est copia Commerciorum, tanta illic freqventia comme-
„antium, ut qvicqvid usqvam nascitur, illic commodius di-
„strahatur. Neq; enim ulla Provincia ità peculiari fructus sui
„felicitate lætatur, ut non hæc propria Arelatensis soli creda-
„tur esse fœcunditas. Qvicqvid enim dives Oriens, qvicqvid
„Odoratus Arabs, qvicqvid delicatus Assyrius, qvod Africa
„fertilis, qvod speciosa Hispania, qvod fortis Gallia potest ha-
„bere præclarum, ità illic affatim exuberat, qvasi ibi nascantur
„omnia, qvæ ubiq; constat esse magnifica. Jam verò de cursus
„Rhodani & Tyrrheni recursus, necesse est, ut vicinum faciant
„ac penè conterminum, vel qvod iste præterfluit, vel ille
„qvod circuit. Cum ergò huic serviat Civitati, qvicqvid habet
„terra præcipuum, ad hanc remo, vehiculo, terra, mari, flu-
„mine deferatur, qvicqvid singulis nascitur: qvomodo non
„multùm sibi Galliæ nostræ præstitum credant, cum in ea
„Civitate præcipiamus esse conventum, in qva divino qvo-
„dammodo munere commoditatum & Commerciorum op-
„portunitas tanta præstatur? Siqvidem hoc rationabili pla-
„nè probatoq; consilio jam & Vir illustris Præfectus Petro-
„nius observari debere præceperat. Qvod interpolatum
„vel incuria temporum, vel desidia tyrannorum, reparari
solita

solita auctoritate decernimus, Agricola parens carissime, atque amantissime.

Unde illustris magnificentia tua & hanc præceptionem nostram, & priorem sedis suæ dispositionem secuta id per septem Provincias in perpetuum faciet custodiri, ut ab Idibus Augusti, qvibuscunqve mediis diebus in Idus septembris in Arelatensi Urbe noverint honorati vel possessores, Judices singularum Provinciarum, singulis Concilium esse servandum. Ità ut de Novem populana & secunda Aqvitania, qvæ Provinciæ longiùs constitutæ sunt, si earum judices certa occupatio tenuerit, sciant legatos juxta consvetudinem esse mittendos. Qva provisione plurimùm & Provincialibus nostris gratiæ nos intelligimus, utilitatisqve præstare; & Arelatensi Urbi, cujus fidei secundùm testimonia atqve suffragia parentis Patriciiqve nostri, multa debemus, non parùm adjicere nos constat ornatui: Sciat autem Magnificentia tua qvinis auri libris judicem esse mulctandum, ternis honoratos vel curiales, qvi ad constitutem locum intra definitum tempus venire distulerint. Data. XV. Kal. Majas. Accepta Arelate X. Kal. Junias. D. D. NN. Honorio duodecimùm & Theodosio Octavùm Augg. COSS.

Haud temerè conjecerim, Constitutionem hanc Honorio & Theodosio Impp. qvoqve adscripsisse Ægidium Lacarrium in Historia sua Galliarum sub Præfectis Prætorio, qvam nondùm mihi videre contigit. Nec obstat, qvod in memorato diplomate Arelas Constantina Urbs nominetur. Talem enim titulum non à Constantino Tyranno, sed à Constantino M. Imperatore accepisse probat ex manu exarato Archivi Ecclesiæ Arelatensis Codice Petrus Saxius in Pontificio suo Arelatensi sub Maurino s. Marino Archiepiscopo p. 10. *Muros nostros*, inqvit, *Urbemq; instaurAvit Constantinus*

nus Magnus, & à suo nomine Constantinam jussit appellari: Legò enim in nostro Codice MS. à pissimo Augusto Constantino re ædificata est Arelas, qvæ nescio qvibus ruinis defecerat, & ut apicem semper obtineret dignitatis dilectionis signo nomen suum imposuit ei. His suffragatur Honorii & Theodosii A. A. decretum. Ac planè præter necessitates publicas etiam humanæ ipsi conversationi non parum credimus commoditatis accedere, qvod in Constantina Urbe jubemus annis singulis esse concilium. Ergò qvis non videt, hallucinari Scaligerum, dùm nomen Constantinæ & Constitutionem Honorii & Theodosii ad Constantinum Britannum & Tyrannum revocat. Legebatur etiam in marmore extra portam militarem & in ædibus Templariorum Arelate.

IMP. CÆS. FL. VAL. CONSTANTINO.
P. F. AUG. RESTITUTORI.

Arelatem verò suam adamasse Constantinum non ex nomine & restauratione murorum tantùm convincitur: imò ex filio, cui Arelatensis nomen dedit: cum enim Arelate natus esset, vulgò Constantinus Arelatensis ab Historicis dictus legitur; Postremò Scaliger sub finem cap. 24. Lib. I. Auson. Lect. non pauca de Constantini Tyranni exitu miserabili Olympiodorum tradidisse meminit, qvæ tamen nihil ad rem facere putat. At verò si Vir Clarissimus ea, qvæ Olympiodorus, celeberrimus ceteroqvin Historiæ Honorii Senioris & Theodosii & Honorii junioris Scriptor, de Constantino Tyranno commentatus est, probè considerasset, eademq; cum fastis Consularibus Idacii contulisset, nunqvam, arbitror, Constantinum Tyrannum Constitutionis superius allegatæ auctorem fecisset. Hunc enim jussu Imperatoris jam A. 411. occisum fuisse extra omnem disputationis aleam positum est. Qvomodo ergò Constitutionem supra dictam, qvæ ad A. C. 418. jure merito, Bucherio computante,

te, refertur, sancire potuit Constantinus, Tyrannus jam septem ante annis miserando fato functus? Verùm hæc atq; talia obiter monenda duxi in gratiam potissimum eorum, qvi antiqvitatum Ecclesiasticarum amore ac studio tenentur. Et qvanqvam Josephus Scaliger suo tempore haud vulgari in Orbe Literato florebat Eruditionis laude, tamen cum in scientiis veritati plus dandum sit, qvàm auctoritati, errorem ejus, modesto licet sensu, notare volui; imò Reip. Literariæ causa debui, cujus maximè interest errorum scopulos detegi, ne in illos facilè impingat Studiosa juventus. Nec dubium, qvin Josephus Scaliger se hominem fuisse meminerit, nihilq; humani à se alienum putarit. *Neq; enim* (verba sunt Antonii Pagi in Prolegomenis, qvæ Dissertationi suæ de Consulibus Cæsareis præfixit.) *ad decipiendum nati sumus, valdèqve refert, ut magnorum etiam virorum, qvorum labores miramur, qvibusve discimus, lapsus in manifestam lucem producantur, ne eorum auctoritate lectores permoti, qvod fugere debuerant, incautè amplectantur.* Sanè in eo qvoqve Scaliger manifestò reprehenditur à Thoma Reinesio, qvod Arelatem Lib. 2. c. 30. p. m. 172. Lect. Auson. dictam fuisse Mamiliariam existimat. Operæ pretium erit subnectere locum ipsum maximè notabilem, qvem habet castigatissima Magni Ausonii editio p. 239. cum integris Scaligeri, Mariangeli, Accursii, Freheri, Scriverii, selectis Vineti, Barthii, Acidalii, Gronovii, Grævii aliorum qvè notis A. 1671. Amst. publicata. Verba auctoris sunt hæc: *Arelatem hodiè Galliæ Narbonensis splendidissimum oppidum Rhodano impositum Mamiliariam dictam fuisse, primus, qvod sciam, Scaliger observavit, indè sublegerunt Ortelius & Merula & credidere adseveranti, qvia lapidis inscripti testimonio niteretur. At hodiè eum ipsum lapidem in Grutero mihi contigisset inspicere, Scaliger qvod*

monstro simile est εφωράθη μεγαλιαν ατυχήσας. *Syllabam enim MA. initialem vocabuli, cujus reliqva obliterata sunt in saxo, cum seqventi integra & significante vocula impertinenter connexuit, undè chimæra illa exivit* MAMILIARIA. *Ecce autem ipsum marmor.* — VIR INL — AUXILIARIS PRÆF- PRÆT. GALLIA — DE ARELATE. MAMILIARIA: PONI. S. — M. P. J. *Cujus sensus, suppleantur lacunæ, uti supplendas esse remur, talis est: XV. Consulatu Theodosii, qvi cum A. C. 435. coincidit,* VIR ILLUSTRIS AUXILARIS (*prænomen enim, qvod detritum est, divinare nondùm potui*) *Præf. Præt. Galliarum* DE ARELATE MARITIMAM *usqve* MILIARIA *poni sua pecunia curavit. C. Grachus lata lege Sempronia de viis sternendis, muniendis, reficiendis instituerat, ut lapidibus certa mensura positis notarentur millia passuum & signa spatiorum columellis, qvæ singulis milliaribus statuebantur, inciderentur. Ei rei curator viarum, cujus mentio apud Gruterum; iùm qvatuor viri viarum curandarum sub Impp. & in Municipiis ædibus creati sunt. Ipsi Impp. Magistratus, & viri illustres viis eversis & corruptis resarciendis, dimetiendis & signandis per Provincias incubuerunt. Idem studium Præf. Præt. Galliarum fuit, commoditatibus Provincialium milliaria ab* ARELATE *usq́ ad* MARITIMAM, *qvæ colonia fuit & Urbis Avaticorum Ptolom. lib. 2. stagno seu fossis Maurianis opera Marii bello cum Cimbris & Teutonibus à Rhodano ductis & Mari Marsalitano seu Ligustico adjacens, distinguere & signare. Cujus operis memoriam iste Lapis Arelatensis conservavit. In versu ultimo nota numeri, qvot videlicet passuum millibus iter Arelate Maritimam constiterit, excidit.* Hæc Thomas Reinesius. Ceterùm ut eò, undè digressus sum, revertar, Provinciam Romanorum esse qvoq́ve feudum fœmininum & hæreditarium ulteriùs demonstrari potest adversus Amelotum

lotum de la Houssaye, & qvidem propria Regis Galliæ confessione. Etenim si fœminæ in Provincia successionis hæreditariæ non sint capaces, curnam Rex Galliæ ipse Margaritæ Reginæ Angliæ Renati Regis Neapolitani, Ducis Andegavensis, Lotharingiæ & Barri, Comitisq; Provinciæ filiæ secundo-genitæ jura, qvæ obtendebat in Provinciam ad se transferenda curavit? Qvidam enim scriptor Gallicus in Propilæis pactorum Regis Galliæ promittit duo diplomata huc facientia se editurum, hisce titulis: *Don fait au Roy Lovis XI. par Margverite Reine d' Angleterre des Droits qvi luy appartenoient aux Duchés d' Anjou, de Lorraine & de Bar, & au Comte de Provence à Bourges le 17. Mars 1475. Seconde Cession & transport au Roy Louis XI. par Margverite Reine d' Angleterre de tous ces Droits successifs aux Duchez d' Anjou, Lorraine & Bar, & Comte de Provence. Fait à Angers. le 19. Octobre 1480.* Qvare si Margarita, Henrici Angliæ Regis conjux, jus hæreditarium, vel iplo Rege Galliæ fatente, habuit in Provinciam, qvantò magis idem jus Jolanthæ dicti Renati Primogenitæ, Friderici Ducis Lotharingiæ uxori, competiisse statuendum est? Perspicuè igitur videmus, Gallos propriis retibus, qvæ aliàs Germanis tendunt, capi posse, ex qvibus neutiqvàm se explicare noverint. Qvin Petrus Saxius in libro sæpè citato artes, qvibus Ludovicus XI. ad acqvirendam Provinciæ possessionem usus est, non dissimulat, qvando scribit, ei optatam diu Provinciam ipsamqve Urbem Arelatensem obvenisse, non sine Palamedis Forbini, sacri defuncti Comitis Cubiculi Præfecti, ope, cui fasces meri Imperii commiserit, in hujus rei gratiam præmiumqve, addito Pro-Regis titulo jureqve: Eundem Regem Galliæ voluisse etiam, ut Commissoriæ noxæ clientes eximeret, attributo ære collatitio & mulctatitio; bullatas reservationum tabulas concederet, & qvod præ-

cipuum, in ampliſſimo ordine Senatores crearet, deſtitueretqve: uno verbo Comes eſſet, idqve epigrammate retuliſſe ex incerto auctore Johannem de Gallaup, Clariſſimum apud Aqvenſes Regiarum rationum Advocatum.

Inſueta hæc merces, Comitem Regem ipſum creavi,
Regna mihi ut Regi credidit ipſe Comes.
Imò Regna dedit, dum Regia jura remiſit,
Alterno officio conciliatur amor.

Palamedes Porrò ille Sub Regulus Cives Arelatenſes in verba Regis jurare fecit, fœderaque inter priores Comites Provinciæ & Arelatenſes icta (quæ aliàs conventiones vocantur) renovavit, atqve hujus rei diploma in Archivis Regis Rationalium Aqvenſium, & in Chartaceo, cui Titulus Corona fol. 92. legi teſtatur P. Saxius ſub Euſtachio CDII. Archiepiſcopo Arelatenſi. Et ſanè ſimul notari meretur in Chartis Arelatenſium publicis, teſte eodem, Reges Galliæ Comitum & Arelates Dominorum elogiis uti. Quod certiſſimo argumento eſt, Carolum IV. Imperatorem Regnum Arelatenſe Gallis non vendidiſſe, ut nonnulli lubricæ fidei ſcriptores commenti ſunt. Enim verò ſi ad Galliam ſpectaret Regnum Arelatenſe, utiqve Reges Galliæ in Chartis publicis non Dominos Arelates (qvemadmodum Petrus Saxius ex Archivo Arelatenſi pluribus oſtendit) ſed Reges Arelatenſes ſe inſcripſiſſent. Hanc autem dignitatem Regiam, utpote Domini Arelates titulo longè auguſtiorem, Reges Galliæ ſuſtinuiſſe nuſquam reperi gentium. Undè arguendus venit D. Blondellus, qvi in Genealog: Franc. pleniori aſſertione Regnum Arelatenſe jure Coronæ Francicæ & proprietatis poſſidere Ludovicum XIV. putat, nulla tamen ſuæ aſſertionis fundamenta producit. Et quandoqvidem propria confeſſio in ejusmodi controverſiis magnam vim habere ſvevit, mirandum eſt, ipſummet Blondellum

dellum ingenuè agnoviſſe in Barro Campano Francico pag. 82. Provinciam Romanorum, cujus Caput Arelates eſt, eodem jure, qvo Andegavenſes Principes per 100. annos uſi fuerint, à Rege Galliæ etiamnùm poſſideri. Sed cum paulò ante ad oculum demonſtratum ſit ex Pontificio Arelatenſi, Reges Galliæ, exemplo priorum Comitum Provinciæ, Dominorum tantùm titulo in chartis publicis uti, firmiter videmur inferrè poſſe, Regnum Arelatenſe ad Regem Galliæ minimè ſpectare. Præterea ſcrupulus adhuc unus meo in animo reſidet, dùm dubitare cogor, an Domus Lotharingica ſua in Provinciam jura in Carolum Burbonium tranſtulerit, uti Amelotus de la Houſſaye in notis ad Caroli Andegavenſis teſtamentum, in gratiam Ludovici XI. Regis Galliæ A. 1481. conditum, opinatur. Nam in Arcanis Pacis Weſtphalicæ A. 169. Francofurti ad Mœnum editis legere eſt, Ducem Lotharingiæ Legatis Cæſareis Monaſterii de pace cum Gallis ineunda agentibus certos articulos ſubmiſiſſe, in qvibus etiam ſubſeqvens eminuerit: *Deniqve ſalva ſint Duci & ſucceſſoribus jura ac prætenſiones in Ducatus Bretagne & Anjou, nec non Comitatus Provinciæ, Forcalquier, Biois & Conſly cum appertinentibus atque alia quæcunq; ipſis ex hæreditatibus Jolanthæ Andegavenſis ejusque Aviæ de France, Antonii Ducis Lothraringiæ & Domus Bleſenſis &c. competentia.* Ex qvo apparet, peculiarem illam Lotharingiæ Ducum in Provinciam Romanorum prætenſionem nondùm planè exſtinctam videri. Id qvidem facilè largior, Carolum Vtum Imperatorem, Provincia ductu Caroli Burbonii recuperata, eundem in præmium belli fortè Regem Arelatenſem conſtituere voluiſſe exemplo aliqvot Imperatorum, inprimis Friderici II. qvi Guilelmum Vtum principem Auriacum, ex cujus progenie Wilhelmus Henricus, Rex Angliæ, & Fridericus III.

potentissimus hodiernus Elector Brandenburgicus, Hæres ejus, descendunt, A. 1214. 13. Jan. Regis Arelatensis titulo cohonestarit. Hujus rei diplomata adservari hodiè in Archivis Provinciæ, auctor est Pisius in Historia Principum Auriacorum. At verò utcunqve se res habeat, non facilè mihi persvaderi patiar, Imperatorem jure cessionis Bourbonianæ innixum eo tempore repetivisse Romanorum Provinciam; siqvidem Apologia Madritiæ Conventionis clarè docet, Carolum Vtum, tanqvàm Imperatorem Romano Germanicum, Provinciam injustè ab Imperii corpore avulsam recuperandi desiderio arsisse. Qvæ Apologia cum ex Archivis Hispaniæ deprompta sit, inqve paucorum manibus versetur, non possum, qvin ipsissima ejus verba apponam, qvæ ità habent: *Provinciam Phocensem non antiqvum Francorum Regum, ut comminiscimini, patrimonium, sed ad Cæsarem* IMPERII JURE *spectantem aggressi sumus.* Ex qvibus omnibus luce meridiana clarius patet, magnam vim diplomatum non amplius in Archivis qværi debere, sed ex libris editis hinc indè ad jura Regum ac Principum discutienda colligi posse. Qvinimò magnoperè dolendum est, qvod acta publica non impensiori cura olim habuerint Gentes Europææ. Hinc multa in Archivis Regum ac Principum Europæ etiamnum desiderari, justæ gravesq; sunt Doctorum Virorum pariter atqve Aulicorum qverelæ. Ità Auctor Præfationis Operi Puteani paulò post allegando præfixæ Gallorum in custodiendis Actis publicis incuriam nimioperè conqveritur. Nec alienum ab instituto meo fore arbitror, si ex Auctore isto non ubivis obvio, qvem Vir qvidam Per-Illustris ex splendidissima familia & vetustissima nobilitate oriundus, Mœcenas Literatorum maximus, mihi ante aliqvot annos in Holsatia utendum dedit, nonnulla excerpta

ob ocu-

ob oculos ponam. Primò describit Auctor Archiva Galliæ, qvalia fuere, Rege Philippo Augusto, dicitqve, qvondam hunc ibi invaluisse morem, ut Reges ad bellum vel aliò profecturi Archiva secum veherent. Hinc Philippum Augustum, à Rege Galliæ angustiis aliqvando clausum, omnes ferè suas perdidisse chartas ac diplomata. Posteà Gualterus junior irreparabilis ferè hujus jacturæ curam in se suscipere jussus, aliqvot Regis Regniqve documenta studiosè conqvisivit, & ne priori fato perirent, locum Parisiis delegit ad custodiendas superstites è naufragio tabulas idoneum. Qvi locus Thesaurus Chartarum (Tresor des Chartes) dicitur, in qvo tamen nulla amplius diplomata ante Regnum Ludovici junioris reperire sit. Huic Thesauro chartarum Custos, Thesaurarius Chartarum dictus, præpositus erat, cujus officium in eo consistebat, ut Tabulas publicas hinc inde collectas suo qvasqve loco reponeret, accuratumqve indicem conficeret. Seculo XVI. curam hanc gessit Christophorus Thuanus, & post illum Johannes Thuanus filius ejus eodem munere functus est. Qva tempestate Johanni Tilio, Actuario, (qvi aliàs Collectionem Regum Galliæ unà cum Diplomatibus quibusdam edidit Paris. A. 1607. in 4.) ad Thesaurum chartarum patebat aditus, ut inde, qvando opus, nonnulla depromeret. Verùm id adeò præpostero ordine fecit, ut diplomata, qvæ in usum suum decerpserat, in suum rursus locum non reconderet, multaque eorum, quæ domum secum asportaverat, posteà desiderarentur. Hoc malum magis magisqꝫ auctum censetur, B. Brissonio nimis liberali Tabulario Regio utendi facta copia. Auctoritas enim, qva plurimùm valebat, fecit, ut abuteretur aditu tàm facili, multasqve memorias & commentarios indè surriperet. Confusio hæc duravit ad tempora usque Matthæi Mo-

Molæi, Procuratoris Generalis, qui præcipuè in eam curam incubuit, ut diligentius solito chartæ digererentur, indicesque accurati fierent, datis ei à Rege adjutoribus Petro Puteano & Theodoro Gothofredo, qvorum illi clavis Thesauri servanda tradita fuit. Præterea magna pars forulorum capsarumq; putredinem contraxerat, pluvia ubiqve penetrante. Igitur primùm omnium placuit, diplomata corrupta & semi putrida à se invicem separare, ac integra in meliorem ordinem redigere. Foruli qvoqve & capsæ refectæ fuerunt. agglutinatis à P. Puteano schedulis. Certè hujus Viri mirificam in colligendis actis publicis industriam insigni mactat elogio Rigaltius in Vita ejus, qvæ extat in Vitis selectorum aliqvot virorum Londini A. 1681. 4. curante Bateſio, editis. Verba Auctoris hæc sunt: *Puteanus apud ipsum Peireſcium & Antonium Lomenium Villoclarium arctiſſimo ſecum invicem amicitiæ nexu conjunctos fecit, ut enixè conſpirarent, qva pollebant gratia, reqvirendis undiq; arcanæ memoriæ chartis, curioſa rerum noſtrarum externarumq; ſtudia, valdè juvantibus. Habentur illic Principum & Legatorum viciſſimqve ad Principes & legatos literæ, inſtructiones, Mandata & hujusmodi alia innumera: Qvibus adornandis veſtigandisqve mira fuit Lomenij Peireſcijqve ſagacitas, magna felicitas ſive auctoritas obtinendis: maxima verò Puteani ſedulitas & induſtria ſingulis ordine ac tempore diſtingvendis & componendis. Exindè autem vidimus inſtauratam Bibliothecam voluminum amplius qvadringentorum, qvæ Lomenius noſter ſumptu liberali multo labore tranſcripta magnificoq; opere compacta ſuis ædibus officioſiſſimè habuit ad varios uſus amicorum. Eo decedente, ex ærario Regio librarum millibus qvadraginta perſolutis, Regiam planè ſuppellectilem Luparanis armariis cuſtodiri placuit, donec accederet Bibliothecæ omnium Bibliothecarum copioſiſſimæ, undè eſt tandem*

dem in Regiarum chartarum thesaurum comportata. Hoc etiam verò Puteanum permultis beatiorem fuisse existimo, quod serò se permisit Typographis, quorum opera præfestinata pœnitentiam nonnullus induxit & conservavit ridenda senibus cunabula. Legatis ad pacem publicam missis adjungi consilio noluit, quod poterat etiam à modestissimis ambitiosè expeti, oblatum sibi repetitis Magnatum obtestationibus munus defugit, ipsisque etiam Legatis amicè atq; enixè sibi hoc ab ipso officio postulantibus restitit pertinaciter, atq; in Gothofredum suum transmisit. Annuit tamen & fideliter præstitit, ut super occurrentibus negotiorum quæstionibus consultus ex animi sui sententia responderet; instrumenta, testimonia, exempla subministraret. &c. Prætereà viri supra dicti locupletissimos indices parasse dicuntur, exacta temporis, nominum, Personarum, aliarumq; rerum & clausularum maximè notabilium vel ad jura Regis vel ad Historiam pertinentium habita ratione, subjunctis sæpenumerò ad intelligenda eò facilius diplomata Tabulis Genealogicis. A. 1622. Petrus Puteanus jussu Regis missus est Trecas, ubi morte decesserat Franciscus Pithæus, in cujus Bibliotheca acta qvædam publica latebant, qvæ juribus Regis Galliæ lucem accensura videbantur. Anno 1625. delegati sunt à Rege tres viri, Lebrettus, Joannes Delonius Lorma & Petrus Puteanus, ut jura Regni Galliæ in ditiones circa Mosam & Mosellam investigarent. Occupata haud ità multò post Lotharingia, Gothofredus missus est Nancejum, introspiciendis diplomatibus ac chartis in archivo Ducis Lotharingiæ latitantibus. Qvi Lutetiam Parisiorum reversus secum asportavit sex arcas diplomatibus authenticis Lotharingæ ac Barri-Ducatus, nec non civitates Metim, Tullum & Virodunum pertingentibus plenissimas. Istiusmodi diplomatum indices, Gothofredus tradiderat Cardinali Richelio,

lio, Cancellario Regis, & Molæo Procuratori Generali aliis qve. Sed nescitur, ubinam suprà memoratæ arcæ postmodum translatæ fuerint. Qvare Auctor Præfationis paulò ante citatæ vehementer accusat negligentiam Ministrorum & Archivariorum Regis Galliæ, qvod documenta publica non majori solicitudine asservanda præceperint. Eqvidem remedium huic malo A. 1628. 23. Decembr. Decreto Marillaci, Custodis sigillorum Regii, qvæsitum fuit. Verum Gallos semper ad ingenium redire qveritur idem ille, veriſſimaqve esse pronunciat, qvæ habet Budæus in notis ad Pandectas. *Nunc omnia*, inqvit, *in tenebris latent incuria temporum in patria qve Galli peregrinari videntur, soli propè hominum rerum suarum ignari. Itaqve instrumentum Regni nullum, ne publicum qvidem habemus, qvod qvidem certè magnopere memorandum sit. Sed hic est perpetuus hujus Regni genius, rerum gestarum monumenta ut nihil ad Rempublicam pertinere videantur.* Ejusdem ferè negligentiæ culpam Hispani incurrisse videntur. Hinc Cardinalis Ximenius huic malo remedium propositurus publico Edicto promulgandum duxit, ut Tabulæ omnes publicæ quibuscunqve possessoribus extorqverentur, sivè in supremo Senatu judicum, sive apud exteros Legatorum munia obirent. Diplomata autem illa in Archivis qvàm curatissimè condi jussit, ut qvoties usus posceret, inde depromi possent. vid: Gomezius in vita Cardinalis Ximenii. Bernhardus qvoqve Compostellanæ Ecclesiæ Chartophylax, vulgò Thesaurarius, librum congessisse dicitur, complectentem summorum Pontificum & antiqvorum Hispaniæ Regum diplomata. C.C. Sandius in notis & animadversionibus, qvas scripsit ad Vossium de Historicis Latinis, promisit in auctario, qvod molitus est, plures, qvi simili studio congerendi antiqva diplomata incubuerunt. Sed non credo, eum fidem suam liberasse. A. 1513. jussu & auctо-

auctoritate Ferdinandi Regis, cognomento Catholici, diplomata sparsim deliteſcentia in unum volumen, quod Caput Brevium vocitatur, coegit Lucas Barberius, Siculus, cujus mentionem facit Thomas Fazellus, qvi extat apud rerum Sicularum ſcriptores. Et qvoniam iſti volumini Diploma Urbani II. Pontificis, qvo Rogerium, Comitem Siciliæ, Caput Eccleſiæ Siculæ declaratum fuiſſe contendunt Hiſpani, Barberius inſeruerat, adverſus eum acriter diſputat Baronius in Annalibus ſuis Eccleſiaſticis ad A. 1097. Sed hunc vicißim refutavit peculiari opere Beltren de Gvevarra. Eqvidem A. 1571. Pontifex Alexandrinum Cardinalem ſororis filium in Hiſpaniam miſit rogatum, ut Juriſdictio Eccleſiaſtiça Pontificis introduceretur, & in Sicilia ac Regno Neapolitano omnia ad præſcriptum Concilii Tridentini perägerentur. At enim verò Legatum Pontificis dimiſit Rex Hiſpaniæ Philippus II. ſuſpenſo hocce reſponſo: *Jura Majorum ſuorum, quæ in illis Regnis ac ditionibus fuerunt, uti ea acceperit: ità per ſuos Magiſtratus hactenus ſervaſſe. Ceterum ad eos ſcripturum, & ſi quæ ſint, quæ juxta Pontificis deſiderium corrigi poſſent ac debeant pro ea, qua ipſum colat obſervantia, ſedulò ſe facturum.* vid. Thuanus lib. L. Hiſt. p. 749. Magna qvoqve damna ſenſiſſe Archivum Regni Daniæ turbidis maximè Chriſtierni II. temporibus exponit Huitfeldius Cancellarius in Chronico Daniæ. Qvod ad Germanos attinet, eos olim Archivis caruiſſe tam certum eſt, qvam quod certiſſimum. Quippe Tacitus libello de ſitu, moribus & populis Germaniæ cap. 2. tradit, Germanos Heroica Majorum ſuorum facta Carminibus antiqvis celebraſſe, idque unum apud illos memoriæ & Annalium genus fuiſſe. Sed enim cum ſeculo V. inter Germanorum gentes Franci potentia eminerent, Galliamqve occupaſſent, eos exemplo Romanorum acta pu-

licâ diligenter custodiviſſe dubitari nequit. Ævo Carolingico in Civitatibus, in qvibus Concilia habebantur, & in palatio Imperatoris Tabularia publica fuiſſe reperio. Ita enim Annales Fuldenſes ad A. 813. qvi extant T. I. Freher. rerum Germanicarum: *Concilia qvinqve ſuper ſtatu Eccleſiarum corrigendo ab Epiſcopis celebrari juſſit, qvorum unum Moguntiaci, alterum Remis, tertium Turonis, qvartum Cabillone, qvintum Arelate congregatum eſt. Qvorum geſta qvi noſſe voluerit, in prædictis qvinqve Civitatibus invenire poterit.* Multò diſertius id confirmant Annales rerum geſtarum à Ludovico ad A. 813. qvi extant T. I. veterum Scriptorum è Bibliotheca Reuberi editorum: *Concilia qvoqve juſſu ejus ſuper Statu Eccleſiarum colligendo per totam Galliam ab Epiſcopis celebrata ſunt. Qvorum unum Moguntiaci, alterum Remis, tertium Turonis, qvartum Cabilloni, qvintum Arelate congregatum eſt: & conſtitutionum, qvæ in ſingulis factæ ſunt, collatio coram Imperatore in illo conventu habita. Qvas qvi noſſe voluerit in ſupradictis Civitatibus invenire poterit: Qvanqvam & in Archivo Palatii exemplaria earum habeantur.* Familia Carolingi ca in Germania cum Ludovico Arnolfi filio extincta, Regnoqve ac Imperio ad diverſas familias translato, nullum eſt dubium, qvin Diplomata multa ob vagas Regum ac Imperatorum Germ: ſedes, bellicq; motus perierint. Proin mirandum non eſt, Decreta Concilii Moguntiaci A. 852. juſſu Ludovici Germanici habiti, qvamvis anxiè qvæſita, nullibi hactenus reperiri potuiſſe; cum tamen ea tempeſtate duo exempla, ut ſupra demonſtravimus, in Archivis ſolicitè conderentur. Qvantò minùs admirari ſubit jacturam Diplomatum ad fines Imperii pertinentium, qvæ in Archivo Palatii ſervabantur? Hunc Archivi Imperii defectum, è vicinia ut ſupplerem, magnoperè allaboravi, donec fortè inciderem in Auctorem Pontificii Arelatenſis ſæpius à me laudatum,

ſed

sed publica auctoritate fisco addictum in Gallia. Is veram causam scriptionis in præfatione maximè dissimulasse videtur. Scribit enim Severtium inter Canonicos Lugdunenses Theologum, virum diffusæ lectionis, insignis probitatis, omnigenæqve doctrinæ Galliarum Episcopos describentem à se petiisse Archiepiscoporum Arelatensium Catalogum: Se qvidem desiderio ejus satisfeciisse, & aliqvo Historiæ & annorum calculo designatos transmisisse. Illum autem nimiùm suis conjecturis indulgentem seriem turbasse Archiepiscoporum, non sine veritatis Historiæ dispendio; adducta sub Patroclo Archiepiscopo causa, qvod scil: diplomata Pontificia non subjeciisset. Idcircò se provocatum, pergito, peris nondùm satis maturi editionem acceleraisse, Democarem, Savaronem, Nostradamum, Chenutium, Robertum & Severtium omnium postremum Præsulum Arelatensium nomina vulgasse; Democarem qvidem admodùm imperfectè, Nostradamum aliud agentem qvorundam tantùm nomina edidisse. Chenutium seqvi Savaronem, qvi qvidem perantiqvam membranam Archivi Arelatensis legerit; Robertum tamen forte tutiùs: Omnes verò nomina innovasse, textuqve corrupto incognitos feciise Præsules, probè anteà notos. Ideò Nomenclaturam & Historiam Primatum Arelatensium, typis se commisisse, utqve rerum gestarum narrationi majorem circumponeret auctoritatem, ipsissima Diplomata Pontificia, Regiaq; in lucem protrahere voluisse. Verum enim verò Canonicum istum Arelatensem hæc atqve talia obtentui solùm sumpsisse, ex lectione totius operis facilè apparebit. Nam Jura Ecclesiæ Arelatensis & primatum ejus, inprimis adversus Scaligerum, qvi illum in lectionibus suis Ausonianis impugnare aggressus fuerat, qvàm acerrimè defendit: Qvod cum facit, multa egregia Diplo-

mata Regum Arelatensium, ac Imperatorum Romano-Germanicorum ex Archivi Arelatensis penetralibus eruit, passim provocando ad Archivum Ecclesiæ & Urbis Arelatensis, Thesaurum Montis Majoris & Archivium Virginum Cæsarii Arelatensis &c. Proindè operæ pretium facturus mihi videor, si Diplomata, qvibus jus Imperii in Regnum Arelatense luce meridiana clarius ostendi potest, ex libro tàm raro in publicam curiosi orbis scenam producam, Archivo Imperii maximè inservitura. Urserit forsan qvispiam, prætensiones esse qvasi fomites belli, ac facilè fieri posse, ut indè novum in Europa incendium excitaretur. Verùm minimè videtur verendum summos Principes, ob librum privata tantùm auctoritate & exercendi ingenii ac industriæ causa conscriptum, ad arma statim prolapsuros. Nec præsens Germaniæ facies permittit, ut Romani fines Imperii longissimè proferat; qvippe qvod magnitudinem suam justitia tuetur, sine cupiditate, nec ullum bellúm, ob tot pennas Aqvilæ injustè subtractas, facilè decernit, nisi denuò lacessatur. Scripserat A. 1654. paulò post pacem Monasterienſem librum suum de Finibus Imperii Hermannus Conringius, in qvo jura Germaniæ doctissimè tutatus est; nec tamen ideò publicum statim bellum ortum esse legimus. Sic Seldenus in libro suo, jussu licet Regis Angliæ composito, qvem Mare Clausum inscripserat, multa docuit S. R. Imperii Regum Daniæ & Galliæ, Belgii fœderati, aliorumqve vicinorum rationibus planè adversa; nemo tamen eorum ad istiusmodi extrema descendit. Christianus IV. Rex Daniæ conquestus qvidem est de hoc scripto in literis ad Regem Angliæ datis, qvod Seldenus justo latiùs jura Angliæ Maritima extendisset, ac Maris Septentrionalis Regno Norvegiæ competentis limites turbasset. Sed præter qve-

relas

relas nihil hostile à Danis tentatum reperio. Et qvid opus huic rei in clarissima luce positæ diutius immorari, cum ipsi Reges ac Principes tot libris fecialibus, vulgò Manifestis, hoc seculo (vetera non scrutamur) editis satis declaraverint, qvam necessaria sit in Statu Civili Prætensionum Doctrina. De qvarum præstantia, jucunditate ac necessitate, si pro dignitate agere vellem, non exigui res voluminis foret. M. Z. Boxhornius, Vir, si qvis alius, eruditissimus, mirificè commendat hocce studiorum genus Orat. in obitum Mylii habita, cujus verba notatu dignissima hic subjungi merentur. *Quid omnis*, ait, *illa Juris Romani scientia, nisi alia etiam præmittatur, aut accedat. Quid jus illud privatum, nisi ad illud publici quoque Majestatem conferamus? Quid Titij & Sempronii Controversias de fundo, de adeunda hæreditate, de finibus aliisque ejuscemodi minoribus rebus ex æquo dirimere; & interim quomodo finiendæ gentium lites, aut Imperii decora conservanda ac Majestatis, deniq; quomodo tenenda omnis Respublica sit, ignorare? Quid tandem, quæso, fuerit Urbanorum & rusticorum prædiorum, de qvibus juris vestri loqvuntur auctores, ad amussim didicisse servitutes, si ad curam Imperii aliqvando vocati impares rebus nec animo complexi fitis, illa tàm utilia, qvam necessaria præcepta, qvibus inter tot dissidentes Europæ Orbis, inqve tanta potentissimorum Principum aliorum rebus insidiantium ambitione & accepta à majoribus libertas integra conservari, & imminens aut imposita jam servitus depelli possit & averti? Qvid denique scientia ac usu illustriùs existimatis in causa stillicidii tueri desideria hominis privati, an verò repetitis antiqvorum sive monitis sive exemplis in tot jam bellorum, præsertim civilium causas recto judicio posse inspicere, iisqve excussis, ac sublatis sistere magnitudine optimi consilij profluvium sanguinis humani?* Ceterùm materia Prætensionum etsi utilitatem in vita Civili afferat insignem

imi-

mirari tamen subit, neminem hactenus extitisse, qvi earum Syntagma justo Volumine includendum sibi sumeret. Jus publicum qvidem Imperii Romano Germanici speciale s. internum à Limnæo & aliis tractatum est satis copiosè. Verùm Jus Publicum Universale, qvo Controversiæ Imperatoris & Imperii Regum ac Principum Europæ expenduntur penitùs ferè in Academiis, ob summam difficultatem, neglectum hactenus jacuisse, non immeritò dolet Orbis Literatus. Nam Scriptores, qvi Prætensiones generatim complecti voluerunt, sunt admodùm pauci, parumq; accurati. Id qvod inter desiderata rei Literariæ cum Bosio & Wagenseilio, Viris longè clarissimis, referendum esse censeo. Id circò ante novem circiter annos cum apud illustrissimum D. Comitem de Wedel Ephori munia obirem, argumentum istud adeò dignum mihi visum est, ubi tenues ingenii mei vires periclitarer, industriamqve ponerem haud vulgarem. Eqvidem scripsit Sprengerus, Consiliarius qvondam Palatinus, de Prætensionibus illustribus. Verùm sex plagulis, qvibus minutulus liber ejus constat, tàm vastum hujus scientiæ fundum exhausisse non videtur. Prætereà tractat Controversias publicas ex jure Civili Romanorum, cum illas potius ad juris naturæ & Gentium ductum librare debuisset. Nam si qvis hodie damna à vicino Rege illata actione Legis Aqviliæ resarciri meditaretur, æqvè irrisui aulicis foret, atqve magni ille nominis Jure consultus, jura sui Principis vanissimo hocce nisu tuiturus. Præposteram istusmodi de Juribus Regum ac Principum commentandi ac cognoscendi rationem non modicè perstringit Cæsarinus Fürstenerius in libro suo, qvi de Suprematu Principum Germaniæ inscribitur, Cap. IX. p. m. 37. & qvidem his verbis: *In explicando suprematu difficilem me provinciam suscepisse fateor, &*

qvod

qvod qvis miretur, in re tàm vulgatâ propè intactam: *Cujus rei ratio est, qvod illi qvi ad scribendum plerumqve animum appellunt, miserabili ingeniorum morbo, nonnisi vetera erepant, qvorum nostris temporibus vix apparent vestigia, recentium incurioси:* *de qvibusdam Jurisperitis vulgaribus hoc non miror; illis enim omnis sapientia in uno Romani juris Corpore concluса videtur;* *experientia autem rerum humanarum, si qvam habent, forensis auditorii cancellos non egreditur:* *Undè nonnunqvam de publico & Gentium jure misera sunt eorum judicia.* *Hos ergò Cæsarem pro Domino Mundi; Principes nostros pro Præsidibus Provintiarum, licet perpetuis & hæreditariis, habere mirum non est; neqve ab his aliqvid magnoperè exspectes, illustrando publico jure, qvod nunc viget.* *Sed illud semper miratus sum, illustres dignitate & rebus gestis & eruditione viros, cum ad scribendum accessere, maluisse eruditionis suæ documenta dare, qvam experientiæ atque judicii.* *Nam qvæ paululùm à Romanis Græcisqz formulis abeunt, ea vix nominare audent; videas documenta & præcepta tradi non alia qvàm qvæ alicujus Poetæ aut Oratoris auctoritate firmari possint, & exempla adhiberi ex sola vetere historia anqvisita:* *qvæ res facit, ut libri ejusmodi à viris pragmaticis (qvicunqz nondùm juvenes hoc velut gustu antiqvitatis imbuti sunt) velut inutiles, aut certè steriles spernantur.* Aliàs reperiré est Auctores qvosdam, qvi de tàm nobili argumento lingua Gallica commentati sunt. Verùm nec hi animo curioso veritatisqve amanti satisfaciunt, qvippe qvi se mutuò exscribere solent, & pudendis ac spongia dignis scatent erroribus historicis. Qvod attinet ad scriptores, qvi per partes argumentum hoc tractarunt, certè eorum penuria non usqve adeò laboramus, qvamvis multùm reliqverint alienæ accuratioriqve investigationi. Inter Gallicorum jurium propugnatores an-

te signanus habetur Petrus Puteanus, Regis Galliæ Consiliarius ac Bibliothecarius, insignis probitatis, raræ Doctrinæ, excellentisq; ingenii Vir. Is omnia Regni scrinia excutere & evolvere funditus à Rege suo jussus, tandem conscripsit magnum volumen, cui titulus: *Le Traité des Droits du Roy tres-chrettien sur plusieurs Etats & Seigneur ies possedeés par divers Princes voisins. 1655. f. à Paris.* Operæ pretium erit argumentum totius Operis summatim hoc loco recensere. Primò agit Autor de Prætensione Regis Galliæ in Siciliam & Regnum Neapolitanum. pag. I. II. De Prætensione Regis Hispaniæ in Siciliam pag. 4. III. De Prætensione peculiari Regis Galliæ in Regnum Neapolitanum p. 5. IV. De Refutatione argumentorum Hispanicorum p. 10. & 14. V. De Prætensione Regis Galliæ in Rempublicam Genuensem p. 17. VI. Exhibet examen Prætensionis Imperatoris in Rempublicam Genuensem p. 24. VII. Agit de Controversiis inter Regem Galliæ & Ducem Sabaudiæ natis p. 29. VIII. De Juribus Regis Galliæ in Pacificatione Cameracensi, Turinensi, Vervinensi, & Lugdunensi reservatis pag. 31. IX. De Prætensione Regis Galliæ in Baronatum Fossiniacensem & alias arces Genevenses, qvæ sunt feuda Delphinatus p. 32. X. De Prætensione Regis Galliæ in Comitatum Niceum & Villam Francam &c. p. 34. XI. Seqvuntur Excerpta Memoriarum Tilleti s. Tilii ad Henricum II. ad evincendam Regis Galliæ Prætensionem in Provinciam, Niceam, Sabaudiam, Pedemontium, Bressiam &c. p. 66. XII. De Prætensione Regis Galliæ in Comitatum Lucensem agit auctor p. 69. XIII. De Prætensione Regis Galliæ in Ducatum Mediolanensem & Comitatū Astensem p. 77. & seq. XIV. De Prætensione Regis Galliæ in Regnum Arragoniæ p. 95. XV.

De Prætensione Regis Galliæ in Regnum Castiliæ p. 107. XVI. De Prætensione Regis Galliæ in Regnum Navarræ, p. 111. XVII. Proponitur Responsio ad primum argumentum Hispanorum, qvòd excommunicatione Pontificis nititur p. 117. XVIII. Responsio ad secundum argumentum Blancæ cessione nixum. p. 119. XIX Responsio ad ultimum argumentum, qvod ex pacto inter Reges Arragoniæ inito arcessunt p. 123. XX. Refutatio Prætensionis Regis Angliæ in Galliam p. 125. XXI. de Prætensione Regis Galliæ in Angliam p. 145. XXII. Agit de particulari Regis Angliæ Prætensione in Galliam. p. 140: De Prætensione Regis Galliæ in Comitatum Flandriæ p. 149. XXIII. Enarrantur objectiones Hispanorum contrà Gallos Dominium directum Flandriæ sibi vindicantes. XXIV. Argumenta Gallorum ad demonstrandam Pacificat: Madritens. Cameracens. & Crespiacens. injustitiam. XXV. De Prætensione Regis Galliæ in Comitatum Artesiæ agitur p. 175. in Insulas Flandricas, Duacum & Orchias p. 183. in Tornacum, Santamandum & Mortoniam p. 189. in Comitatus Bononiens. & S. Pauli p. 193. XXVI. Examen Articulorum Pacificat. Madritensis, Cameracensis & Crespiacensis Comitatum Bononiens. & S. Pauli concernentium exhibetur p. 207. XXVIII. Agit Auctor de Prætensione Regis Galliæ in Regnum Burgundiæ, cujus appendices fuerunt Lugdunum, Delphinatus, Provincia, Bressia &c. p. 211. XXIX. De Amplitudine Regni Burgundiæ & qvomodo Imperator illud sui juris fecerit. ib. De prætensione Regis Galliæ in Regnum Burgundiæ p. 212, & seq. XXX. Disqvirit, An sit præscriptioni locus inter summæ potestatis Principes p. 218. XXXI. De Prætensione Regis Galliæ in Provinciam agere pergit Auct. p. 225. & seq. XXXII. De Prætensione Imperatoris Caroli Vti in Provinciam p. 239. XXXIII

De Prætenſione Regis Galliæ in Avenionem, Comitatum Venuſinum & Principatum Auriacenſem p. 251. XXXIV. De Prætenſione Regis Galliæ in Britanniam Gallicam. p. 271. XXXV. Exhibetur Examen & refutatio Prætenſionis contra Regem Galliæ ob Iſabellam Principem Hiſpaniæ à Duce Lotharingiæ motæ. Ut & Reſponſio ad Prætenſionem Ducis Lotharingiæ in Ducatum Andegavenſem. p. 285. XXXVI. Differit Auctor de Ducatu Burgundiæ p. 287. atqve in medium profert Argumenta Hiſpanorum, qvibus eundem Ducatum ſibi vindicare ſuſtinent, ſubnexa Reſponſione ad argumenta Hiſpanorum p. 292. XXXVII. De Comitatu Antiſſiodorenſi Galliæ unito agit Auctor. p. 305. XXXVIII. De Prætenſione Regis Hiſpaniæ in eundem Comitatum p. 306. XXXIX. De Comitatu Matiſconenſi p. 310. De Dominio Barro Seqvanenſi p. 311. XL. De Comitatu Auxonienſi XLI. De Comitatu Guiſæ p. 317. XLII. De Moliminibus Ducis Lotharingiæ in Domania Regis Galliæ ac feudum Barrenſe differit p. 332. XLIII. De Ducatu Burgundiæ ad Regem Galliæ pertinente. XLIV. Exhibentur Memoriæ continentes Regalia ac Prætenſiones Regis Galliæ in Ducatum Barrenſem XLV. Argumenta, quibus Miniſtri Regis Galliæ elidere poſſint Imperatoris Prætenſiones in Metim, Tullum ac Virodunum p. 343. XLVI. Qvod Pignerolum non pertineat ad Imperium, probare nititur. p. 346. Deniq; agit Auctor Nobiliſſimus de Prætenſione Regis Galliæ in Metim, Tullum & Virodunum contra Ducem Lotharingiæ. Hoc opus magna diligentia à Petro Puteano compoſitum etſi laude ſua non defraudandum videtur, præſertim cum multa contineat, qvæ Germania in uſum ſuum convertere poſſit: plurima tamen narrat falsò propiora Auctor, cetera Doctiſſimus, Imperii juribus nocitura, niſi ſolidè confutarentur. Temperare mihi neqveo, qvin unicum lapſum

lapsum tanti Viri hic detegam, de ceteris suo loco uberius dicturus. Etenim p. 25. ubi disqvirit de Prætensione Imperatoris in Genuam, commemorat, qvomodo A. 1575. litibus, inter Nobiles ac Cives Genuenses super ratione Legum reformandarum exortis, Rex Hispaniæ ac Pontifex unà cum Cæsare sese immiscuerint, easdemqve composuerint. Indè infert, Imperatorem, si summum Imperium Civile in Rempublicam Genuensem habuisset, nunqvam in Consortium arbitrii honorarii Pontificem ac Regem Hispaniæ assumpturum fuisse; & ideò ab eo tempore nihil amplius Romano Imperio in Genuam juris supersse opinatur. Verum vehementer errat. Namqve Thuanus, Vir magni per Universam Europam nominis, longè aliter rem istam exposuit Lib. LXI. p. 119, Editi Aurelian: *Nobiles*, inqvit, *se ad res propriis auspiciis gerendas comparabant, cum venêre à Cæsare Oratores his de rebus ex fama certiore facto, non etiam à Republica per oratores suos, ut par erat, edocto, Petrus Fannus Costoclarus, Episcopus Aqvensis & Vitus Dorinbergus ipsius apud Venetos Orator, qvibus Senatus mox datus est. Ji gravi oratione habita se à Cæsare missos ajunt, eum is fando de eorum motibus accepisset, ad eosq; componendos Pontificis & Philippi Oratores interveniss, & ejus rei omnis arbitrium in ipsum tanqvàm supremum inter Christianos Principes Magistratum conferri petunt. Id suo juri Cæsarem à Senatu petere, qvippe cum Respublica Genuensis* IMPERIO SUBSIT, *eamqve ob causam se delegasse, qvi de Causa cognoscant & aqvo jure dissidentium controversias dirimant. Adhæc Princeps Senatus, quod cum Pontificis & Philippi Legatis egerint, se excusare. Id enim factum, qvod illi venissent, nec ullus Cæsaris nomine interesset. Ceterùm scire, qvid Imperio, qvid Serenissimæ Austriacæ familiæ debeant, neq; commissuram unqvam Rempublicam, ut* CÆSAR *hac in re officium suum me-*

rito desiderare possit. Interim gratias agere, quod se sollicitum de rebus suis ostendat. Hæc ità PALAM *acta. Deindè dimissis Legatis murmur repentè exortum, quod non illi tanquàm oratores, sed tanquam judices à Cæsare delegati venissent, qui de Republica tanquam Imperij beneficiaria & Cæsaris Clientelæ subjecta statuerent. ib. A. 1575. Inducia in quindecim dies pactæ sub finem Septembris exituræ. Hæ dein, SCti Decreto confirmatæ, in quo cum Philippi tanquàm præcipui Reip. defensoris mentio facta esset, initio Legati Cæsarei subscribere recusabant. Verùm id interpretatione mollitum,* ità UT NULLUM EA RE IMPERIO PRÆJUDICIUM FACTUM INTELLIGERETUR. Vid. Thuanus c. l. p. 125. Proin miror, Petrum Puteanum locum istum Thuani, qvo viro alioqvin familiariter usus est, non legisse, atq; adeò à vero abluisse. Etenim ex superioribus satis liqvet, qvod Imperatoris Legati non tanqvam arbitri simpliciter sic dicti, sed & tanqvam judices simul comparuerint, de Controversiis Reipublicæ Genuensis, veluti IMPERII beneficiariæ & Cæsaris clientelæ subjectæ, constituturi. Nec Senatus Genuensis contradixit, sed potiùs JUS IMPERII palàm agnovit. Notabilis sanè fuit illa clausula primo pacto A. 1396. inter Regem Galliæ & Rempublicam Genuensem inito inserta, qvæ, Petro Puteano qvidem ipso comprobatore ac teste, ità habet: SALVIS JURIBUS ET HONORIBUS, QVÆ ET QVOS HABET ROMANUM IMPERIUM IN URBEM GENUENSEM. Qvin si vel maximè Legati Cæsarei supremi juris, qvod Imperatoribus Germ. in Genuam competit, statim in limine istius arbitrii planè non meminissent; nihilominus Imperii Romani Jura fixa immotaqve mansissent, qvandoqvidem Imperatores illa sine Consensu statuum Imperii alienare prohiben-

hibentur. Ante P. Puteanum scripserat de Prætensionibus Regis Galliæ Jacobus Cassanus, de qvo supra mentionem fecimus. Verùm hunc non solum Zipæus, Belga, sed etiam Gottlieb von Hagen, Consiliarius & Legatus Christiani IV. Daniæ Regis refutarunt. David Blondellus ipse, natione Gallus, non dubitavit Cassanum castigare in Opere suo Genealogico, qvi qvanqvam non nisi Genealogica inibi tractasse visus est; sæpiùs tamen se qvoqve demittit ad Prætensiones Regis Galliæ, cujus jussu, svadente maxime Segvierio, Regni Cancellario, calamum in Chifletium strinxisse dicitur. Ceteroqvi Blondellus Vir fuit immensæ lectionis solidæqve doctrinæ, nisi qvod affectibus se nimiùm abripi passus est. Hinc jura Imperii inanibus ratiunculis & mordaci scriptionis genere passim impugnat, uti id ad oculum demonstravi in Prodromo meo, & in posterum fusiùs in progressu meditati Operis ostendetur. Auctor Bibliothecæ Gallo Svecicæ, qvæ, fervente Pacis Westphalicæ negotio, prodiit in lucem, spem fecerat, futurum, ut Volumen X. complecteretur *vetera Regum Galliæ aut clientum jura non jura in Regna quædam Italiæ, Belgii Principatus, nec non in ipsam Senensem ditionem jam dudùm sepulta, aut pactis publicis obliterata, eruta ex S. S. antiquitatis*, ut vocat, *tabulis, situ ac vetustate corruptis, productis ex latebris Scrinii Regii & Sabaudiæ, Mantuanæ, Lucemburgensis, Tremolliæ aliarumqve familiarum Chartophylaciis.* Caput illud lepidissimum maria & montes qvidem pollicetur, sed nihil posteà præstitit, dictaqve ejus ludicra nudant tantum consilia cupiditatesq; Gallorum. Id qvod confirmant verba, qvibus concludit libellum: *Via Irenica vel potius Ironica; i. e. media pacis generalis conciliandæ ex actis rerum à Gallis Svecisque in pacis Colloquio gestarum collecta.* Prætensiones Hispanicas doctè & masculè tutatus est Jo-

annes

annes Jacobus Chiffletius. Antonium Dominicum & Tenneurium habuit adversarios; sed iis aqvam hæsisse, satis constat. Blondellus autem, fateor, plurimum ei facessivit negotii, cujus scriptis Apologeticis respondisset, nisi fata optimos tanti viri conatus interrupissent. Johannes Alphonsus Calderonus composuit librum de juribus Hispaniæ, cui titulum fecit: *El Imperio de la Monarquia d' Espagna.* Qvod opus repertu apprimè rarum nunqvam vidi. Alphonsus Vasqvez de Miranda conscripsit qvoqve opus mandato Philippi Regis Hispaniæ, *de juribus ad omnia, quæ subdita essent ei Regna cum eorundem Regnorum Historia*, cujus partem jam qvidem inchoaverat, teste Nicolao Antonio in Bibliotheca Hispanica, sed fatá conatum hunc anteverterunt. Johannes Dauffayus, vulgò D' Auffay Maximiliano & Philippo Austriaco à Consiliis & libellis, commentatus est *de vera successione Mariæ Burgundicæ Caroli Audacis filiæ & ex asse heredis ad Burgundiæ Ducatum, itemque Insulense, Duacense & Orchiacense Dominia.* Qvod opus Manuscriptum adhuc delitescere in Bibliotheca Publica Ecclesiæ Cathedralis Tornacensis & alibi tradit Andreas Valerius. Contra Baronium Cardinalem, qvi jura Pontificis in Siciliam adversus Regem Hispaniæ defendit, scripsit Johannes Beltren de Gvevarra edito Pinciæ libro inf, cui Titulus: *Discursos del Principio, origeny uso de la Monarquia de Sicilia* &c. Venetæ Reipubl. libertatem ac jura scriptor quidam Anonymus impugnare adortus est peculiari libro, cui titulus: *Squittinio della Liberta Veneta, in Mirandola: 1612. 4.* Sunt qvi Peirescium Senatorem Aqvi sextiensem sub hac larva latitare contendunt. Sed Gassendus in vita ejus contrarium defendere satagit. Nonnulli Marco Velsero, singulari Germaniæ Decori, operam hanc adscribere non

veren-

tur. Alii Ant: Albizium Auctorem faciunt, qvi Stemmata Principum Christianorum edidit. Gualdus & Pignorius in scenam qvoqve producuntur. Utcunqve se res habeat, hoc certum est, Autorem Scrutinii libertatem Venetorum, qvam nimioperè jactant, tàm ingeniosis machinis ex vetustissimis Historiarum libris depromptis convulsisse, ut scriptionis laudem vel ipse Cueva, Legatus Regis Hispaniæ, & alii summi viri tribuere sibi haud dubitarint. Hinc Amelotus de la Houssaye in versione sua Gallica magnum etiam libello isti suspendit elogium, dicens: *Le Squitinio della Liberta Veneta est unde plus fameux Ouvrage de ce siecle. Touts les Princes de l' Europe & touts leurs Ministres l'ont lu avec plaisir, & luy ont donné place dans leurs Cabinets.* Qvam ob rem Senatus Venetus, cognito, opusculum hoc in tanto pretio esse penes viros doctos pariter atqve in excelso dignitatis gradu constitutos in id omni animi impetu incubuit, uti solidè refutaretur. Sed Paulus Sarpius licet identidem à Rep. invitatus ad rescribendum; tamen nunqvam ad hanc provinciam suscipiendam seriò adduci potuit. Nam cum in Archivo Venetiarum nihil singulare reperiret, qvod opponeret scripto tam docto, tàm solidam Juris Imperatorii notitiam redolenti, Senatui significandum duxit, se veritatem ipsam infirmare non posse. Quin Duci Venetiarum aliqvando Apologiam libertatis Venetæ acriùs urgenti, respondisse fertur: Camerinam moveri haud oportere. At enim qvia Pontificis opera & impulsu scrutinium illud Libertatis Venetæ maximè compositum credebatur, recepit, se literis mandaturum, quæ æqvè malè Pontificis animum pungerent. Qvod & accuratè præstitit, conscripta Historia Concilii Tridentini, qvo æterno opere secretas artes Aulæ Romanæ candore prorsus incredibili detexisse visus est. De Theodori Graswincke-

lii, Raphaelis Torrii & Laurentii Pignorii pro causâ Venetorum moliminibus qvid sentiendum sit, suo loco dicetur. Nam de hisce atqve talibus Prætensionum scriptoribus fusiùs agam in Morhofio illustrato, sive in meo ad Polyhistorem ejusdem Commentario, qvod vir ille, (cujus erudito hospitio literarumqve commercio me olim usum esse in præcipua meæ felicitatis parte deputo) tàm in Commentario suo de Notitia auctorum ante annos aliqvot edito, qvàm in privatis Prælectionibus MSS. hancce Historiæ literariæ partem, homini politico maximè necessariam, aut plane omisisse, aut breviter tantùm attigisse videtur. Prætensionum Imperii Rom: Germanici strenuum assertorem laudare possumus Conringium, cujus egregius de Finibus Imperii liber auro contrà carus non est. Eqvidem Hadrianus Valesius de tanti viri conatu parùm honorificè sensit in Epistola ad Johannem Albertum Portnerum, S. Cæsareæ Mtis Consiliarium, qvam ex volumine epistolarum inedito ad Forstnerum, Sereniss: Ducis Wirtenbergici Cancellarium, qvondam datarum descriptam possideo. Verùm qvia in ea plus obtrectationis ac livoris, qvam veritatis est, huc apponi pariter & refelli carptim breviterqve meretur ad vindicandam, (si modò is ego sum, ut à me tantum exspectari possit) famam Conringii, cujus magna in Germaniam & reconditiores literas extant merita. Epistola Valesii ità habet:

Clarissime & Amplissime Vir!

„ Legi Conringii librum de Finibus Imperii Germanici, „in qvo Philippi qvidem & Johannis Valesiorum Franciæ „Regum aliqva fit mentio: mei, qvod tu tamen scripseras, nul„la. Cujus libri titulum jure qvis arguat: Nullum enim „usqvam Imperium Germanicum fuit unqvam, nullum est „hodieqvè: nec Imperator, etiamsi in Germania sedemha„bet, Germanorum Imperator est, sed ut ipse more Majorum

se

se appellat Rex Germaniæ & Romanorum Imperator: Si tamen Romanorum Imperator vocari debet, qvi Urbi Romæ non imperat, & Romæ de Senatus populiq; Romani sententia dudùm desiit consecrari. Nihilominus Conringius Imperio illi suo Germanico penè ipsum Francorum Regnum (ne de ceteris loqvar) velut in formulam Provinciæ redactum, aut beneficium aliqvod attribuit, qvod planè est caput pedibus, Dominos rebellibus famulis subjicere; cum Reges Francorum diu Germaniam, Noricum, Pannoniam & Regnum Longobardorum ac Ducatum Romanum, omnia deniq; qvæ Imperatores vestri possident, ac triplo etiam plura tenuerint, & regnum illud Germanicum occasione bellorum nostrorum civilium sit translatum ad exteros, qvi à Caroli Magni familia desciverant. Tanta qvidem nominis Francici reverentia etiam post translationem hanc mansit in Germanorum animis ac Lothariensium, ut Regnum Germaniæ diu, ac etiam sub Henricis Regnum Francorum (nimirùm Orientalium) appellaretur, nec alibi qvàm in Francia, vulgò nunc Franconia dicta videlicet Moguntiaci aut Francofurti Reges Germaniæ consecrarentur. Non itaqve decet Reges Germaniæ, (vel uti Conringio placet Imperatores) Majestatem Francicam, cui sua omnia debent, sugillare, qvandoqvidem Reges nostri, qvi in omnia Majorum suorum jura successerunt, erepta eis regna armis repetere à Regibus Germaniæ justiùs possunt, qvàm Reges Germaniæ aliqvid in Francicam Dominam qvondam suam juris sibi vindicare. Multa planè legit Conringius, sed qvicqvid legit, etiam Tabulas, Epistolas, Pactiones transcribit, & congerit, magnaqve de nihilo nascitur Historia. Inprimis p. 6. scribit, Francos ab antiqvissimis usq; temporibus, florente Imperio Romano, tenuisse partem Germaniæ, qvæ Francia vel

„Franconia hodiè dicitur, qvi si opus meum legisset, didi-
„cisset, Francorum ad Ostia Rheni & ad Oceanum sedes tùm
„fuisse, Alemannorum autem (ut Aurelius Victor in Cara-
„calla docet) ad Mœnum in ea Regione qvæ posteà circa Pi-
„pini & Caroli Magni ætatem incertam ob causam Francia
„vel Francia Orientals demùm Franconia dicta est. Idem
„pag: 618. Regionem Burgundiæ, Comitatum Carolium
„apud Bodinum pro Comitatu Burgundiæ accipit errore pu-
„erili, sed abaliqvo admonitus erratum istud ad calcem Libri
„emendavit. Quod autem *saltim* pro saltem tantoperè affe-
„ctat; fallitur. Saltim enim πηδητικως seu saltuatim saltem
„verò γηνȣν καν significare vetera Glossaria Latino-Græca
„docent. Sed de his satis, qvæ ne tibi rugam trahant metuo,
„ne de amico tuo tibi videare malè aut etiam malignè senti-
„re. Lutetiæ Paris: 1656.

Sanè hic virum, cetera clarissimum, de tanti Viri opere, qvod in Aulis & Academiis, ubi solida doctrina habitat, multos magnosque invenit æstimatores, malevolo animo potiùs, qvam veritate judicasse deprehendo. Non enim video, qvo jure Valesius titulum Imperii Germanici, qvem Conringius incomparabili Operi suo præfixit, perstringere possit, à Blondello in Imperium nostrum paulò iniqviori id haud dubiè edoctus. Ast cum hujus viri falsissimam sententiam Johannes Henricus Bœclerus peculiari dissertatione more suo i.e. doctissimè gravissimèq́ confutarit, non operæ est pretium, ut multùm hac de re sollicitus sim. Duo tamen adhuc observanda reor, Blondellum, & qvi ejus vestigiâ premit Valesium, proprio pugione confossurus. Conqveritur ille Præf. Apologetica de Chifletio, qvod delatum ante annos fermè 1100. à Mauritio Augusto Francorum Regibus Christianissimi titulum in Vindiciis, Luminibus palàm impugnare Orbisqve Universi judicio

dicio reclamare sustinuerit. Qvare cum Blondellus Chiffletium in eo peccasse putat, imprudens ipse suus est condemnator, dum titulum Romani Imperii Germaniæ nostræ debitum tam supercilioso contemptu lacerare haud erubescit. Id qvod argumento est animi sibi non constantis, nec mediocriter ægrotantis. Scribit etiam Blondellus ibidem, Chiffletium in pacem Germanicam Regi Galliæ consvetos titulos tribuentem deliqvisse. Cur ergò Vir clarissimus titulum Imperii Germanici contra tot Regum, tot Principum, tot Rerumpublicarum totius Europæ; imo contrà Universi terrarum Orbis consensum privato nisu vellicat, qvem ipse Rex Galliæ in frontispicio ejusdem Pacis Germanicæ Imperio tribuere non dubitavit. Qvin si consulamus pacta Imperii cum Regibus Galliæ à multis retrò seculis inita, & Collectioni pactorum Lutetiæ Parisiorum A. 1693. cum privilegio Regis Galliæ divulgatæ inserta, in iisdem titulum sacri Romani Imperii, qvem sibi jure merito vindicat Germania, passim repeti cernimus, frementibus licet privatis in Gallia hominibus. Valesius porrò Conringium culpat, qvod Franciam olim Germaniæ obnoxiam fuisse docuerit. At enim Valesium rationes deficiunt; Contrà Conringius ex antiqvis auctoribus, fide dignissimis, satis superqve L. I. C. VIII. evicit, in Caroli Crassi & Arnulphi Germaniæ Regum obseqvio ad tempus fuisse Franciam Occidentalem s. Galliam. Id qvod etiam Diplomatibus à Stephano Balusio A. 1677. Paris. editis abundè confirmare licet. Conringium tabulas ipsas publicas operi suo inseruisse, confitendum est. Sed id laudi potius ducitur, qvàm culpæ ei jure dari poterit. Idem ante illum præclarissimi Viri fecêre. Sic Blondellus qvoq; , ut alius omittam, in Opere suo Genealogico non aliqvot paginas, sed multas plagulas

literis ac tabulis implet. Nec consilium erat Conringio nudam Historiam componere, sed Jura Imperii tueri, qvibus magnam lucem fœnerari ejusmodi diplomata, imprimis si incorrupta fide subnectantur, in confesso est. Deniqve Hadrianus Valesius Conringium violatæ latinitatis reum pronunciat, qvod *saltim*, voce minùs latina, aliqvoties utatur. Verùm id juribus Imperii non officit, nec dignitati Conringiani operis qvicqvam detrahit. Nam Doctrina solida etiam absqve puritate Romanæ lingvæ, qvæ non virum doctum, sed elegantem tantùm facit (qvò pauciſſimis mortalium aspirare licet) merito consistere potest. Aliàs de unoqvoqve viri docti verbulo vel syllaba multùm ire in consilium, otiosorum hominum superstitio sit. Nec ipsi Ciceroni, Viro Consulari & magnæ in Republica Romana auctoritatis olim sui defuere obtrectatores, qvem tamen Latiniſſimo ævo vixisse, ac Principatum Romanæ eloqventiæ tenuisse, optimi fatentur Criticorum filii. Recentioribus temporibus Caspar Scioppius tantum virum vel Barbarismi accusare haud erubuit in libro Mediolani edito, qui nunc rarò in Bibliothecis visitur. Ante eum Erasmus Roterodamus in Ciceroniano suo solœcismos aliqvot Ciceronis nigro obelisco signaverat; sed Julius Cæsar Scaliger Ciceronem tuendum suscepit in Oratione contra Erasmum, eu ꝙ solœcismorum crimine planè pleneqve absolvit. Idem ille, licet in suis Exercitationibus Cardani stilum nimis acerbè castiget: tamen ingenuè agnoscit, libros ejus ingentis laboris, variæ Doctrinæ, summiqve ingenii pleniſſimos esse. Multi viri Docti in Seldeni qvoq; libris asperum & inæqvale Scriptionis qvoddam genus deprehenderunt. Sed defectum istum varia solidaq; Doctrina largiter compensasse, inter omnes constat. Idem esto judicium de Conringio.

Qvi

Qvi si vel maximè Latino culinario (qvod tamen non fecit) propugnasset jura Imperii; sufficiat tamen, clarissimum Virum glorioſi palmam certaminis tulisse, nemine Gallorum egregia ejus reperta refutare auso. Proin Germania eximium illum, qvem pro tuendis Imperii juribus sumpsit laborem, grata mente agnoscit, exteri verò virtutis veritatisq; amantes singularem eruditionem ejus, ac multi jugam lectionem non possunt admirari satis. Ludovicus XIV. Galliæ Rex, tam splendida Conringii fama commotus, annuo mille librarum honorario eum devinciendum sibi existimavit, cujus Regis, magni ingeniorum æstimatoris, testimonium pluris est, qvam iniqvum illud falsumq; Valesii de tanto viro judicium. Ego verò fateor ingenuè, assiduam libri ejus de finibus Imperii lectionem primùm mihi occasionem præbuisse Prætensiones non solùm Germaniæ, verùm etiam aliorum Regnorum & Principatuum Europæ uno vel pluribus voluminibus colligendi. O utinam Conringio rebus mortalium diutiùs interesse contigisset! Nullum enim est dubium, qvin opus suum, in qvo Prætensiones Germaniæ tàm eruditè pertractavit, ad ultimam perfectionem perduxisset. Qvippe id jussus erat à Leopoldo Magno, Imperatore nostro glorioſissimo. Sed fati iniqvitas obstitit, qvò minùs conata perficere potuerit. Initium autem mihi Operis, qvod molior, (cujus Pars haud spernenda, ne corvos hiantes delusurus videar, proximis nundinis, ut spero, lucem videbit) à Prætensione Imperii Romano Germanici in Regnum Arelatense. Johannes Strauchius, juris ceteroqvi publici Romano Germanici doctrina eruditissimus, scripsit qvidem de isto Regno peculiarem dissertationem. Sed ea, qvæ ad Jura Imperii in Regum Arelatense stabilienda pertinent, desumpsit ex Conringio, nihilqve præterea de suo addidit

dit. Conradus Samuel Schurtzfleischius, Polyhistorum ætatis nostræ facilè princeps, in Dissertatione de Carolo Qvarto habet nonnulla Hermanno Conringio & aliis non observata. Aliqvot annis post Obitum Conringii ejusdem omnium nobilissimæ atqve difficillimæ tractationis curam suscipere qvoqve voluisse Wagenseilium, haud obscurè liqvet ex eleganti ac pererudita ejus Dissertatione de officialibus summis sacri Romani Imperii ubi C. IV. p. 19. hæc verba leguntur: *Qvomodo constitutum fuerit Regnum Arelatense; qvas passum sit mutationes; qvaratione Imperio Germanico accesserit; qvo item pacto indè rursùs fuerit avulsum; denique num superst Imperatori jus aliqvod in illas Provincias, difficiles, obscuræ, & intricatissimæ qvæstiones sunt, qvæ aliud tempus, alium locum deposcunt. Excutiemus eas, cum & face & viatico satis erimus instructi.* Cum verò vir doctissimus nihil posteà de hoc argumento publici juris fecerit, aliis forsan studiis severioribus impeditus, ac Scriptor Pontificii Arelatensis ab ipso & Conringio tantoperè desideratus, qvem Parlamentum Regis, svadente Peirescio Senatore Aqvisextiensi, ob Diplomata varia maximo Imperii Romano-Germanici bono ex Archivis Arelatensibus in lucem protracta, maturè in Gallia supprimi curavit, in manus meas inciderit, aliaqve se mihi obtulerint illustria rerum Documenta, consilium mihi jura Imperii in Regnum Arelatense propugnare, & qvidem longè fusiùs atqve Conringius, aliiqve fecerunt, qvibus & loco suo debitum laudis testimonium, qvoties per eos profecerim, appositis eorundem nominibus, cumulatè persolvam. Etenim si vel maximè Hermannus Conringius in præclaro suo de Finibus Imperii Opere Regni Arelatensis originem, progressum & jura Imperii Germanorum primus doctè executus esse videatur; multa tamen curiosa & scitu admodum

modùm necessaria, ut ipse non dissimulat, latuisse eum certum est. Hinc sub finem ferè Cap. XXIV. Lib II. fluctuat, num non ea, qvæ Galliæ Reges hodiè in Burgundico Regno possident, longi temporis præscriptione Imperium perdiderit. Contrà mihi propositum est, diplomatibus rarissimis, Conringio & aliis juris Publici Romano-Germanici scriptoribus non visis, ac rationibus ex jure naturali & Gentium profluentibus demonstrare, summum jus in partes Regni Arelatensis, turbidis maximè temporibus à Corpore Germaniæ paulatim avulsas, ad Imperatoris nostri Leopoldi Magni ætatem usqve Sacro Romano Imperio salvum illibatumque mansisse. Ad partes autem Regni Arelatensis dilaceratas, vel ipso Petro Puteano Regis Galliæ Archivario haud diffitente, referuntur Comitatus Burgundiæ, Principatus Dombesii, Dominium Bressiæ, Regio Lugdunensis, Delphinatus, Comitatus Avenionensis & Venaysinus, Provincia Romanorum, in qva Urbs Arelates sita, qvæ Regno istinomen indidit, & plures aliæ Regiones, quæ ab exteris possidentur debili admodùm jure, adeò ut Regnum Arelatense, si initium ejus capias à Vogeso monte, (Vauge) vel ab Urbe circiter Basilea, ducta per memoratas Provincias linea, in Mare Mediterraneum usqve porrectum ad hanc diem ad IMPERATOREM IMPERIUMQVE pertineat. Adhæc in Prodromo meo, in specimen futuri majoris operis primum edendo, Prætensionem qvoqve Regis Galliæ in Ducatum Mediolanensem post decessum Regis Hispaniæ (qvem DEUS TER. OPT. MAXIMUS diu incolumèm servet!) haud dubiè in perniciem Imperii erupturam, à Conringio in opere de Finibus Imperii præteritam, ad justitiæ libellam revocare decrevi, ceteras Imperii Prætensiones, inprimis in feuda

Italiæ, aliorumqve Regum, Principum ac Rerumpublicarum jura Publica, qvorum apparatum haud spernendum habeo in manibus, magno labore magnisqve vigiliis collectum, per partes deinceps, opitulante Deo, publicaturus. Fateor me tantùm oneris suscepisse, uti solus ei ferendo non sim. Sed experiendo discimus, qvàm tenuia sint omnium rerum, qvas natura qvotidiè producit, initia, qvæ difficiles ortus & tarda habent incrementa, usqve dum minutarum partium augmento paulatim coalescant. Haud secus jus Publicum Universale, qvod suo ambitu Prætensiones Principum ac Rerumpublicarum complectitur, ab humili tenuiqve profectum initio ad summum perfectionis culmen (si in tanta rerum humanarum caligine aliqvid perfici posse, dici potest) sociatis plurimorum laboribus, sensim, opinor, assurget. Equidem haud ignarus sum, alios molimina mea invido tristiqve supercilio intuituros; alios tàm curiosam ac magnificam operis à me promissi inscriptionem longissimi ævi curam sibi deposcentis admiraturos. Attamen sicuti vana animarum invidarum murmura facilè contemnit generosior animus; ità temeraria asperaqve imperitorum hominum judicia nihil moror, vera laude, qvæ ab iis proficiscitur, qui ipsi laudari merentur, contentus. Alioqvin è meliori luto effictis mentibus, usuqve rerum Civilium lævigatis, laborem hunc etiam atqve etiam probatum iri confido. Qvem si non licebit ob vastitatem argumenti absolvere penitùs, optimæ tamen voluntatis conscientia (in magnis enim voluisse sat est) facilè me consolabor.

Scribebam Rhodopoli A. 1700.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756512921/phys_0080
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756512921/phys_0084
DFG

Qvi si vel maximè Latino culinario (qvod tame
propugnasset jura Imperii; sufficiat tamen, c
Virum glorioſi palmam certaminis tulisse, nem
rum egregia ejus reperta refutare auſo. Proin
eximium illum, qvem pro tuendis Imperii ju
pſit laborem, grata mente agnoſcit, exteri ve
veritatisq; amantes ſingularem eruditionem eju
jugam lectionem non poſſunt admirari ſatis.
cus XIV. Galliæ Rex, tam ſplendida Conringii
motus, annuo mille librarum honorario eum
dum ſibi exiſtimavit, cujus Regis, magni ingé
æſtimatoris, teſtimonium pluris eſt, qvam inic
falſumq; Valeſii de tanto viro judicium. Ege
teor ingenuè, aſſiduam libri ejus de finibus Imp
nem primùm mihi occaſionem præbuiſſe Pra
non ſolùm Germaniæ, verùm etiam aliorum Reg
Principatuum Europæ uno vel pluribus volumi
ligendi. O utinam Conringio rebus mortalibu
intereſſe contigiſſet! Nullum enim eſt dubium
pus ſuum, in qvo Prætenſiones Germaniæ tàm
pertractavit, ad ultimam perfectionem perduxiſſe
id juſſus erat à Leopoldo Magno, Imperatore n
rioſiſſimo. Sed fati iniqvitas obſtitit, qvò mini
perficere potuerit. Initium autem mihi Operis,
lior, (cujus Pars haud ſpernenda, ne corvos hia
ſurus videar, proximis nundinis, ut ſpero, luc
bit) à Prætenſione Imperii Romano Germanici in
Arelatenſe. Johannes Strauchius, juris ceteroqvi
Romano Germanici doctrina eruditiſſimus, ſcripſ
de iſto Regno peculiarem diſſertationem. Sed
ad Jura Imperii in Regum Arelatenſe ſtabilienda
deſumpſit ex Conringio, nihilqve præterea de

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756512921/phys_0085
DFG